~~Teol. 3848.~~

V B J C

5431

CIMELIA

~~X. e. 30~~

AD NODVM GORDIVM:

Seu,

DISPVTATIONEM

DE VOCATIONE MINISTRORVM,

A MARTINO SMIGLECKI JESVITA, Theologiæ Doctore, editam,

Brevis, simplex, & succincta RESPONSIO.

Authore IACOBO ZABOROVVSKI, JESU Christi Ministro.

Cum licentia Superiorum.

Anno Domini 1615.

Xl. 6. 18.

Cim. Qu. 5431.

Bibl. Jag.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO DOMINO,

D. RAPHAELI

COMITI A LESZNO, CASTELLANO WISLICENSI, CAPITANEO WSCHOVENSI, &c. &c.

Patrono & fautori benignißimo, Salutem, rerumq; omnium ex animi sententia successum, à DEO Opt: Max: sincerè precatur.

MAgna fuit audacia, Illustris Domine, illius Goliathi prodeuntis de castris Philistinorum: major Martini Smiglecii erumpentis è catervâ Jesuitarum. Ille enim vasti corporis viribus fretus, unum tantùm virum ad singulare certamen, sibi dari postulavit; hic verò præsumptione animi, societati huic innata, & ferè propria, inflatus, omnibus & singulis Ecclesiæ Orthodoxæ, Ministris bellum indicere non dubitavit. Edidit enim ante quinquennium de Vocatione Ministrorum librum, quem Nodum Gordium inscripsit, in quo decem demonstrationibus probare conatur, Ministros Evangelicos legitimos Ministros 1. Reg: 17.

 non

non esse; hancq́; Disputationem tanti facit, ut decisionem omnium, quæ inter Orthodoxos & Pontificios agitantur, controversiarum, ab ea pendere velit. Avidè expectabam, ut aliquis doctorum Virorum, quorũ in Polonia non contemnẽda, per Dei gratiã, copia, Cuneo verbi divini hunc Nodum finderet: Verùm, illi, ad clavũ Ecclesiæ constituti, & mole spiritualium negotiorum, quæ humeris suis sustinent, indies obruti, responsionem distulerunt. Interea noster Smiglecius majores spiritus sumit, Disputationem suam, nostris Patronis, ultrò offert, vel potius obtrudit, & de nobis Ministris, tanquam fusis jam hostibus, jactabundus triumphat. Excruciabar
4. Reg: 18. *animo, dum audirem hunc Rabsacem Romanum, exercitui Domini Sabaoth insultare, & ante victoriam canere triumphum. Solo itaq́; Deo, & bonitate causæ ipsius, fretus, præterita hyeme, dum sacra jejunia, pro communi Ecclesiæ Dei, & Reipub: pace indicta, per omnes cætus sacros, celebrarentur, dissolutionem hujusce Nodi Gordii aggressus sum, cui, ineunte vere, numine nostris laboribus adspirãte, extremam manum imposui; quam lucubratiunculam publici*

plici juris, esse volui, ut sciat Smiglecius, si ego, qui nullius sum nominis, interq́ʒ nostros tyro, impetum illius sustinere valui, non deesse, in castris Orthodoxæ Ecclesiæ, veteranos milites, qui hunc Goliathum Romanum, funda, & nitidis lapidibus de torrente verbi Divini sumtpis, humi prostrare possunt. Magna enim veritas, & prævalet. 3.Esdr:3.v:15. Cogitanti autem mihi, sub cujus nomine hic qualiscunque labor meus lucem aspicere deberet, tu primus, Illustris Domine, occurrebas. Provocabat enim me, non tantum natalium tuorum splendor, quo omnes illustriore loco natos, in Polonia facile æquas, verùm etiam pulcerrima Virtutum corona, quâ septus es; tua nimirum singularis pietas, insignis promovendæ gloriæ Dei, zelus, excellens rerum divinarum, & humanarum scientia, rara, in tanto Senatore, gravitati conjuncta, comitas, &, quam mihi, de Te minimè meritò, toties ultrò obtulisti, benevolentia. Addebant calcar beneficia, quibus Illustris Heroïna Marianna à Lesno, Amita tua, olim Illustris Domini Andreæ à Dambrovica Firlei, Castellani Radomiensis, ladatissimi nominis, nunc

verò Illustrissimi Domini Janusii, ab Ostrok Ducis Zaslaviensis, Palatini Wołyniensis, Senatoris gravissimi, Viri antiquæ virtutis, pacisq; amantissimi, Conjunx; Ecclesiæ Dei, ratione sacrosancti Ministerii, & Scholæ pietatis seminarii, nec non aliis multis nominibus, liberalissima nutrix, hacq; in parte nulli secunda, Domina heroici pectoris, soloq; sexu fœmina, non tantum me ornavit, sed etiam meos promovit. Volebam ergo debitam gratitudinem meam, erga Te, Illustris Domine, Ecclesiarum Dei Patrone munificentissime, tum erga illam, atq; adeò totam illustrem Leßczyniorum Familiam, hoc literario munusculo testari, Vestrumq; æterna memoria dignissimum Nomen, non solùm latè diffundere, sed etiam ad posteritatem, quæ vestra in Ecclesiam Dei merita, grata memoriâ recognoscet, nunquam interiturum transmittere. Accipe igitur, Illustris Domine, hilari benignoq; vultu, hoc munus à me Tibi oblatum, levidense licet & crasso filo, animum potius dantis, quàm donum, intuitus, meque servorum Jesu, quos tibi charos habes, albo insere. Quod superest, mearum partium

erit,

erit, Deum Opt: Max: indignis quamvis, ardentibus tamen, votis sollicitare, ut Te optimum Senatorem, Ecclesiæq; Dei singulare columen, unà cum Illustri Conjuge tua, ipso pietatis flore, dulcissimisq; liberis) qui utinam te referant, quemadmodum Tu tuum, sanctissimæ memoriæ Patrem, per omnia exprimis) salvum ac incolumem, omnibusqúe bonis abundè cumulatum, diu, ac feliciter servet, & ab omni malo clementer protegat. Dabam Kotzkoviæ, Calend: Iulii. Anno Domini 1615.

Tuam Illustrem Magnificentiam
humiliter colens,

JACOBUS Zaborovvski,
Evangelii Minister.

AD NODVM GORDIVM:

SEV,

DISPVTATIONEM DE VOCATIONE Ministrorum, à MARTINO Smiglecki JESUITA, Theologiæ Doctore, editam, Brevis, simplex, & succincta RESPONSIO.

Ad Caput primum.

NVLLO sanè jure, Smigleci, Nodum Gordium dixisti, tuam de vocatione Ministrorum, disputationem. Tuæ enim, quas vocas demonstrationes, tam sunt elumbes, ut nihil ferè aliud, quàm te, nutriculæ tuæ Ecclesiæ Romanæ blandiri, Demonstrent. Sed age videamus rationem, quâ motus, tam splendidum titulum, qui omnibus Orthodoxæ Ecclesiæ ministris, terrorem incutiat, tuæ Disputationi, præfixeris. *Nam si semel,* inquis, *hunc Nodum Evangelici dissolvere possent, facilè finis imponeretur, omnibus de religione disputationibus.* Dissolverunt, per Dei gratiam, Smigleci, quod ex disputationibus Sadeëlis, Vittakeri, Plessæi, & aliorum doctissimorum, patet; nec tamen finis, vestrâ causâ, disputationibus impositus est. Eandem enim crambem sæpè nobis reponitis; & tanquam muscæ, à lacte sæpius abactæ, iterum assultatis: cumque, quoties de aliquo fidei articulo, movetur vobis controversia, ex S. Scriptura contra nos, nihil possitis, illegitimæ missionis maculam, nobis aspergere conamini, & sub Ecclesiæ ementito nomine, tanquam sub Ajacis clypeo, delitescere vultis. Sed quæris: *Quorsum enim tot clamores de Missa, de utrâque Specie, de imaginibus, de Sanctorum Invocatione, de Purgatorio, & aliis fidei articulis? statuatur semel, an qui hæc docent, sint veri Christi & Ecclesiæ ministri, nec ne, & simul statuetur doctrinam eorum esse veram vel falsam.* Scire aves, Smigleci, quorsum? Horsum, ut à doctrina, de doctoribus judicium fiat. Si enim Missa, (bustum cœnæ Dominicæ) est execranda idololatria, si una species cœnæ domini, detestanda mutilatio; si imaginum cultus, & invocatio Sanctorum, mera superstitio; si purgatorium, fictus, ex quo culinæ vestræ abundè caleant, focus: sequitur hosce, qui in his proram & puppim, religionis suæ, collocant, non veræ doctrinæ cultores, non Orthodoxæ Ecclesiæ Ministros, sed idololatriæ patronos,

A doctrina de doctoribus judicium fieri debet.

tronos, sed sacramentorum mutilatores, sed venalium indulgentiarum institores esse. At ponis hanc Thesin: *Veri Ecclesiæ ministri falsam doctrinam docere non possunt.* Concedo, Smigleci, eos falsa docere non posse, quatenus sunt veri: In tantum autem Ministri sunt veri, in quantum veritati, id est, sacræ scripturæ, adhęrescunt, à quâ si vel latum unguem, deflexerint, & ipsi errant, & aliis errandi occasionem, præbent. Sic enim inquit ipse Deus: [a] *Ad legem magis & ad testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Posse autem veros ministros à verbo Dei deflectere, & aliis errandi ansam dare, nullo negotio probari potest. An non legitimè vocatus fuit [b] Aaron summus pontifex? qui tamen non tantum erravit, sed aliis errandi autor extitit? Nonné fuit legitimè, quo ad externam missionem, vocatus, princeps domus Dei [c] Phassur, qui tamen tam turpiter erravit, ut Ieremiam, propter verbum Dei, in carcerem conjiceret? Nonné etiam ordinarii fuerunt pastores, de quibus Deus [d] *Speculatores, inquit, ejus cæci omnes, nescierunt universi, &c. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* Dices fortassis, In Synagoga ista accidisse. Et ista Synagoga, Smigleci, Ecclesia Dei fuit. Vt tibi tamen morem geramus, felicissimâ in Novo Testamento Ecclesiæ Dei periodum agè videamus. Legitimè vocatis, concedes opinor, Christus dixit: [e] *Accipite Spiritũ S.* &c. Hi tamen in doctrina, regnum Christi carnale somniantes, brevi errârunt, interrogantes Dominum in cælos jam jamque ascensurum: [f] *Num in hoc tempore restitues regnum Israel?* Quin etiam, post acceptum, in die Pentecostes Spiritum S., quidam eorum, errârunt. Erravit [g] Petrus, non rectè ambulans ad veritatem Evangelii. Erravit [h] Ioannes, Angelum adorare volens. Insuper: Si ex legitimè vocatis pastoribus, possunt fieri lupi rapaces, non parcentes gregi, sequitur legitimè ordinatos in doctrina errare posse. At verum Antecedens ex verbis Pauli: [i] *Intrabunt lupi rapaces, ex vobis ipsis exurgent* (alloquitur autem presbyteros Ephphesinæ Ecclesiæ) *viri loquentes perversa.* De veritate itaque consequentis, nullus ambigendi locus. Porro ut tuam Thesim, aliqua ex parte munias, subjicis, *Cùm Deus non nisi per Ministros, à se constitutos nos doceat, & nobis loquatur.* &c. Erras, vir doctissime, alloquitur enim nos Deˢ non tantum per Ministros, sed etiam per verbum suum scriptum. Hinc illud tritum: [k] *Dum oras, loqueris Deo: dum Scripturam legis, Deus tibi loquitur.* Per Ministros autem, tantisper nos alloquitur Deus, quantisper Ministri verbum Dei purè docent. Si traditionum humanarum aliquid admiscuerint, non Dei vox est, sed hominis, quam

a *Esaiæ 8. v: 20.*

Legitimè ordinati Ministri errare possunt.

b *Exod: 32. v: 2.*

c *Ier: 20. v: 2.*

d *Esa: 56. v: 10, 11.*

e *Ioan: 20. v: 22.*

f *Act: 1. v: 6.*

g *Gal: 2. v: 14.*

h *Apocal: 22. v: 8.*

i *Act: 20. v: 29, 30.*

Deus nos alloquitur per Scripturam.

k *Aug: sup: Psal: 55. & de studio sapientiæ, & meditat: legis.*

quam audire non tenemur,[l] *Unus enim Deus legifer noſter*. Accedo ad locos Scripturæ, quibus Theſim tuam confirmatam voluiſti. *Primus ex Epheſiorum* 4.[m] *Conſtituit doctores & paſtores* (ſummi pontificis non meminit Paulus) *ad conſummationem Sanctorum*, &c. Revocemus iſta ad formam Syllogiſticam. Quos Deus poſuit paſtores & doctores, illi errare non poſſunt. Miniſtros poſuit. Ergo. &c. Maior tua, Smigleci, negatur, propter enſtaſes ſuperius allatas, & rationem ex Paulo petitam.

l *Iacobi* 4. ṽ: 12.

A Smiglecio adducti loci excutiuntur.

m ṽ: 12.

Alter locus tibi ſumitur *ex Act*: 20.[n] ex quo potiùs contrarium ſequitur: Si enim paſtores poſſunt degenerare in lupos rapaces, ut Paulus v. 30. apertè teſtatur: Sequitur Miniſtros legitimè vocatos errare poſſe.

n ṽ: 28.

Tertius producitur *ex Matt*: 18. Qui ferè eſt Achilles veſter,[o] *Qui non audierit Eccleſiam, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*. Hoc loco, Smigleci, miſerrimè abutimini, & ſimplicioribus, quibus, per vos, in ſacris literis verſatos eſſe non licet, imponitis. Non enim ibi agit Chriſtus de doctrina & fide, ſed de cenſura morum & correctione fraterna, deq́; compoſitione litium, inter fideles ortarum, per Senatum Eccleſiaſticum. Quod cuiq́; manifeſtum eſſe poteſt ex ſuperioribus.[p] *Si peccaverit in te frater tuus*. Hoc verò ad rem præſentem nihil facit. Ex eodem capite Matt: profers verba,[q] *Quæcunq́; alligaveritis ſuper terrā*, &c. Sed cùm in tertia demonſtratione locum de poteſtate ligandi & ſolvendi, ex profeſſo tractes, ibi reſponſum accipies. Poſt ſcripturam pugnas hac ratione: *Si veri Miniſtri falſum docere poſſunt, Deo ipſi, ea falſitas, imputaretur*. Nego id ſequi Smigleci. Quidquid enim boni in miniſterio, à cauſa prima, à[r] qua omne bonum, ſcilicet Deo, proficiſcitur, ipſiq́; acceptum ferendum eſt: ſi quid verò mali admiſtum fuerit, in cauſis ſecundis, id eſt, in ipſis miniſtris hæret, qui, quoniam homines ſunt, & libero arbitrio (vobis judicibus) ad bonum & ad malum plerumq́; feruntur, labi, decipi, ac ita errare, facilè poſſunt. *Dices fortaſſe, quod Deus Miniſtros per ſuum ſpiritum in veritate retineat, & propterea errare non poſſunt*. Retinet, Smigleci, ſed pro menſura huic vitæ proportionata, in[ſ] qua ex parte cognoſcimus, ex parte prophetam[9]. Idem Deus Miniſtros, & per eundem ſpiritum, retinet in fide, qui & in charitate. At, retinente eos Deo in charitate, nihilominus peccant, in fide igitur etiam errare poſſunt. Idq́; extra controverſiam poni debet. In quamcunq́; naturam cadit peccatum, in eandem error cadere poteſt. Peccatum enim in voluntate: error, in intellectu: utrumq́; in potentiis unius ejuſdemq́; animæ. Deus errare neſcius, quia nec

o ṽ: 17.

p ṽ: 15.

q ṽ: 18.

Ratio Smiglecii.

Ejus ſolutio.

r *Iac*: 1. ṽ: 17.

Quatenus Deus retinet Miniſtros in fide.

ſ *1. Cor*: 13. ṽ: 9.

N. B.

peccare: angeli & beati cælites, errare non possunt, quia à peccato immunes. At omnes ministri peccare possunt: omnes enim orant: Remitte peccata nostra. Ergo & errori obnoxii, facilè reddi possunt.

Alii loci excutiuntur.

Excutio locos scripturæ, quos probandę tuæ sententiæ obtorto collo trahis. Citas locum ex prioris *ad Thess:2.ver:13. Ideò & nos gratias agimus Deo, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed sicuti verè est verbum Dei.* Ex quo quid pro te concludere possis, non video. Pauli doctrina à Thessalonicensibus accepta, fuit verè verbum Dei. Ergo quodcunq; ordinarii Ministri docent, est verbum Dei. Si sic arguis, Smigleci, A Particulari, & extraordinario, ad universale & ordinarium, minimè efficax argumentum ducis. Pauli enim doctrina fuit verè & purè verbum Dei: erat enim Apostolus [t] non ab hominibus, neq; per homines, sed ab ipso Deo immediatè vocatus: [u] in tertioq; cælo mysteria fidei edoctus, quæ cùm in ordinarios ministros cadere nequeant, cum Paulo in omnibus comparari non possunt. Retorqueo itaq; Argumentum. Si [x] Paulus, tam insignis Apostolus, credi sibi noluit, si annunciaret aliud Evangelium, præterquàm quod accepimus, multo minus certè credendum est mediatè vocatis, ubi à verbo Dei deflexerint. Rectè [y] Augustinus: *Nec catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi fortè falluntur, ut contra scripturarum autoritatem aliquid statuant.*

t *Gal:1.v:1.*
u *2. Cor:12.v:2.*
x *Gal:1.v:18.*
y *De Unit: Eccles: cap:10.*

Adducis verba Christi, [z] *Qui vos audit, me audit.* Sed iis addidisse debebas illa, [a] *Docentes eos servare omnia quæcunq; mandavi vobis.* Ex quibus perspicuum est, quod in tantum Christum in pastoribus audire teneamur, in quantum docent, quæ Christus præceperit: sin verò extra præcepta Christi, aliquid nobis obtruserint, omninò audiendi non sunt, ita monente Christo: [b] *Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus: alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.*

z *Luc:10.v:16.*
a *Matth: 28. vers: ult.*
b *Ioan:10.v: 4, 5.*

Quod verò subjungis, *Christum noluisse, ut omnes sint pastores & doctores:* si de publica prædicatione accipis, verum est; sin de privata, non utiq;, cùm enim omnes electi sint θεοδίδακτοι, alii alios [c] in fide firmiores reddere, & Christo lucrifacere tenentur. *Quosdam*, inquis, *posuit oves, quosdam pastores.* &c. Id quoq; Smigleci, verum, in Ecclesia bene constituta; sed ubi Ecclesiæ status collapsus fuerit, non semper servatur hic ordo; quosdam enim à [d] pecore abstractos, extra ordinem receptum, Deus aliquando extrusit potiùs, quàm misit, & contra ordinarios prophetare compulit.

c *Rom: 15. v: 1, 2, 3.*
d *Amos 1. v: 1.*

Adjicis,

Adjicis, *Neque enim eorum judicio & imperio securè quis acquiescere posset, quos cogitat fallere posse.* Vana sanè securitas nostra esset Smigleci, si absolutè in omnibus, ministris credendum foret. Latissimus enim hic esset nobis seducendis, campus, & compendiaria ad brutam obedientiam, quam tantoperè Cardinalis Cusanus commendat, via. Aliter à verbo Dei edocti sumus, nos conditionaliter debere judicio Ministrorum acquiescere, nimirum si juxta legem Dei judicaverint: [e] *Facies quodcunque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus.* Rectè Basilius: [f] *Oportet*, inquit, *auditorem probare omnia, quæ à Doctoribus dicuntur, & quæ scripturis consona sunt suscipere, & quæ aliena rejicere.* Non invenustè Peraldus Episcopus, [g] *Patientia asinina est, non curare quid ei imponatur, aurum an lutum.* Paulus verò monet fideles; [h] *Sit rationabile obsequium vestrum.* Quæ cùm ita se habeant, eam regulam sequi non possumus, quam tu commendas, ut ministris, quidquid doceant, sive hoc sit in sacra scriptura, sive non sit, fidem adhibeamus, quin potius, Si quidem ex doctrina de doctoribus judicium statui debet, ad examen doctrinæ, cùm vestræ, tùm nostræ, jure vos provocamus. Sed ut Thesis à te positæ, imbecillitas enervis appareat, hæc subjicio. *Si Ministri in doctrina errare non possunt*, eorum omnia dicta & scripta erunt canonicæ autoritatis. Atqui hoc absurdum. Ergo & illud ex quo deducitur.

Quatenus Ministris credendum.

e *Deut. 17. v: 10.*

f *Lib: Moral: Reg: 27.*

g *Tom: 1. de Beatitudine.*

h *Rom. 12. v: 1.*

Item. Si Concilium, ni à Papa approbatum fuerit, quin etiam, si ipse Papa concilia approbans, errare potest, sequitur reliquos ordinarios errare posse. Verum antecedens, ut infra probabitur. De veritate itaq; consequentis dubitandum non est.

Infra vide resp: ad Demonst: 8.

Sed refellat te potius Bellarminus, vester Coryphæus: [i] *Sine dubio*, inquit, *singuli episcopi errare possunt, & aliquando errant, & ita interdum inter se dissentiunt, ut nescias, quis eorum sequendus sit.*

i *Lib: 2. de Concil: cap: 2. § Ex quibus.*

Accedis tandem Smigleci ad propositionem libri, & promittis te decem demonstrationibus, probaturum Ministros Evangelicos, non esse veros atq; legitimos ministros: Fidem tuam ut liberes infra videbimus. Quod verò polliceris, te demonstrationes nolle ducere ex rebus æquè incertis, gratum nobis est, utinam reipsa præstitisses. Nam cùm, non à doctrinæ qualitate, sed ab ordinatione, & quibusdam externis, demonstrationes ducas, nihil minùs quam demonstrationes congessisti. Sed nostros accusas, quod ab ipsis disputationis ordo non servetur, quasi verò, Smigleci, non lis litem serat, & controversiæ fidei non tam sint concatenatæ, ut si unum ponas, aliud ponatur; si unum tollas, aliud tolli, necesse sit. Quin & tu ipse in hac

Smiglecius Ministros non servati ordinis accusat, quem ipse violat.

in hac disputatione, non unicum Argumentum de vocatione Ministrorum tractas, sed & eadem sæpius reponis, & in multas controversias evagaris: de *potestate ligandi & solvendi peccata*, de *Missa*, de *Transubstantiatione*, de *numero & efficatia Sacramentorum*: de *utraq; specie*: de *Ecclesia, eius notis, & fundamento ministeriali*: de *verbo Dei*, & de *ejus sensu*, deq; *traditionibus*, de *vita ministrorum, & auditorum*, quam probris, more vestro, consciſam cupis: deniq; de Miraculis. Quæ omnia tantam tibi difficultatem afferre poterunt, quantam tuus Nodus Gordius nulli ministrorum parere potuit. Sed præfationi tuæ cum nobis diutius inhærendum non sit, ad examen primæ demonstrationis, veniamus.

Ad primam Demonstrationem, Caput verò Secundum, & Tertium, Responsio.

Quicunq; non est legitimè vocatus, & missus, non potest esse legitimus Evangelii minister,

Ministri Evangelici non sunt legitimè vocati & missi.

Non sunt igitur legitimi Evangelii Ministri.

Pace tua dixerim, vir doctissime, optandum certè foret, ut quemadmodum nudas Demonstrationes ponis, ita earundem præmissas Syllogisticè confirmasses: sed cùm hic mos apud omnes ferè Iesuitas, obtinuerit, ut in disputando declamitent, rhetoricentur, digressiones faciant, nervos probationum tuarum inquiram, & per Dei gratiam directè respondebo.

Ad verbi Dei prædicationem requiritur legitima missio.

Ad majorem itaq; responsurus, extra omnem controversiam pono. Ad legitimam verbi Dei prædicationem, & Sacramentorum administrationem, requiri legitimam quoq; missionem. [k] *Quomodo enim*, inquit Paulus, *prædicabunt, nisi missi fuerint?* [l] *Privatimq; nemo sibi hunc honorem sumere potest, nisi sit vocatus tanquam Aaron.* In quod officii, qui se privatim ingerunt, illos Deus perstringit apud Hjeremiam. [m] *Non mittebam*, inquit, *prophetas, & ipsi currebant.* Quos quid maneat, ipse Deus apertè denunciat. *Cibabo*, [n] inquit, *eos absintio, & potabo eos felle.* Damus itaq;, Smigleci, tibi majorem: nec illud negamus, illos magistratui injuriam facere, qui inscio & invito ipso,

k *Rom:10. v:15.*
l *Heb:5. v:4.*
m *Hier:23. v:21.*
n *v:15.*

to ipſo,in aliquod negotium,ab eo ſolo demandandum, ſeſe intrudunt: concedimus etiam in ore Miniſtrorum, qui a Deo miſſi non ſunt, inſidere ſpiritum mendacii: tales verò ſunt, qui, poſtpoſito verbo Dei,viſiones,ſomnia,miracula,conſectantur. Ita enim Deus: [o] *Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis & decipiunt vos: viſionem cordis ſui loquuntur,non de ore Domini.* [p] Item, *Seduxerunt populum meum in mendacio ſuo, & in miraculis ſuis.* In minore cardo totius controverſiæ. Tibi itaq;, Smigleci, probandum incumbit, Miniſtros Evangelicos, legitimè miſſos & vocatos non eſſe: quod quomodo probes,age videamus.

o v: 16.
p v: 32.

Hoc Dilemma,Smigleci,contra nos ſtringis. *Duplex eſt,inquis, miſſio,Ordinaria ſive mediata: Extraordinaria ſive immediata.* Hinc argumentaris:*Si Miniſtri miſſi ſunt ordinariè,dicant per quos ordinarios Epiſcopos miſſi ſunt;* ſin *extraordinariè, producant divinum teſtimonium,id eſt,miraculum.* Simpliciter & directè reſpondeo, Smigleci. A non ſufficiente enumeratione partium, & cauſarum, non valet argumentatio: dari enim poteſt tertium, nempè,miſſio partim Ordinaria,partim Extraordinaria, quam ne à me confictam putes, habes ejus ſpecimen in Iohanne Baptiſta,qui ex parte fuit ordinarius, quia Levites natione, ex parte extraordinarius, quia ab ipſis ſe, ſeparavit,in deſerto,contra ordinarios,docuit,vocans in cathedra ſedentes, [q] *progeniem viperarum.* Talis fuit, Smigleci,miſſio Lutheri, Zvinglii, Buceri, Oecolompadii, & reliquorum, qui reformationi Eccleſiæ,primi manum admoverunt, qui partim ordinariè, partim extraordinariè,miſſi fuêre. Ordinariè,quia in veſtra Eccleſia,in qua aliquis ordo fuit,ordinati ſunt: Extraordinariè,quia ſingulari Spiritus S. afflatu impulſi, tam arduum reformationis negotium, frendente mundo,aggreſſi ſunt.

Dilemma Smiglecii contra Miniſtrorum vocationem.

Ejus ſolutio, Prima.

q *Mat: 3. v: 7.*
Lutheri & reliquorum ordinatio, partim ordinaria, partim extraordinaria.

Secundo ad tuum Dilemma reſpondeo. Non omnes, qui extraordinariè à Deo mittuntur, in confirmationem miſſionis ſuæ, miracula producere debere. Moſes quidem, Chriſtus, Apoſtoli, & quidam alii,miraculis inſtructi venerunt:ſed plures dare poſſumus extra ordinem miſſos, qui nulla miracula ediderunt. Cedo enim quod miraculum patravit Ezechiel,Hjeremias, Hoſeas, Amos, Sophonias,Abdias,Ioel,Nahum,Malachias,& alii? Nullum certè proferre potes: de quibus tamen dubium non eſt, quin extra ordinem miſſi,in nomine Dei verè prophetârint. Quin ipſum Iohannis Baptiſtæ exemplum,erroris te arguere poteſt, de quo per expreſſum, [r] *Iohannes quidem ſignum fecit nullum.* Adducis tu quidem pro te: *quis putas puer iſte erit*,&c. ſed facile ex hoc loco dejici potes. Aliud enim

Altera.
Non omnes extraordinariè miſſi,tenentur miraculis miſſionem ſuam probare.

r *Ioan: 10. v: 41.*

f Ioan:11. v.43.

ud enim est, quod circa infantem Iohannem, sicut circa f Lazarum, miraculum factum sit; aliud verò, quod in adulta ætate Iohannes, officium præcursoris Christi, extraordinarium aggressus, vocationem suam, nullo miraculo, confirmavit. Quod ad tuum Axioma infringendum sufficit. Vides, Smigleci, quam ruinoso fundamento innixus, Ministrorum missionem convellere volueris. Huic itaq; parum fidens, rationes quasdam affers. *Res ipsa*, inquis, *evincit, in re tanti momenti, quæ religionem concernit, non debere cuivis facilè fidem adhiberi, dicenti se à Deo missum.* Vt hoc verum est, Smigleci, ita ratio tua nihili. *Dicunt hoc omnes Hæretici, dicunt Ariani Calvinistis, se à Deo missos esse*, &c. Nam, ut rectè vester Costerus monet. t *Non quæritur*, Smigleci, *quid cæteræ Ecclesiæ dicant, sed quid verè dicant.* Dicunt quidem Ariani, sed non probant: quod si nobis ex veritate dogmatum probare possent, de missione illis minus negotii facesseremus: pluris enim veritas doctrinæ, quàm externa missio, fieri debet. Cùm autem doctrina illorum ex scriptura probari nequeat, quin potiùs scopum biblicum à radice evellere tentet, licet frustra se à Deo missos glorientur, nos tamen nobis hoc peculium, nunquam eripi patiemur, quod legitimè missi à Deo sumus, quippe cùm veritatem Dei ex professo doceamus. Ministri enim Diaboli ex professo veritatem docere nequeunt. *Concessum est quidem Satanæ*, (ut inquit u Chrysostomus;) *aliquando verum dicere, ut rara veritate, suum frequens mendacium, commendet*: sed ut ministri Diaboli ex professo veritatem doceant, hoc verò impossibile est. Atqui Ministri Evangelici ex professo in omnibus articulis veritatem docent, non sunt igitur Ministri diaboli, sed sunt veri Dei Ministri, juxta illud: x *Quem misit Deus, verba Dei loquitur.* Dicis *hac ratione peti principium, eo quod hoc ipsum, æquè incertum sit.* Ostende itaq;, Smigleci, qua in parte fidei, Ministri verum non doceant. Vt enim apud te incertum quod Ministri Evangelici veritatem doceant: ita perindè apud me incertum, quod Romana Ecclesia sit vera Christi Ecclesia, quod tu vera doceas, quod legitimè sis ordinatus. Sed audiamus te argumentantem: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur, prius est mitti, quam prædicare.* Ergo *prædicatio dependet, à missione.* Respondeo. In Ecclesia legitimè constituta, missio quidem antecedit tempore prædicationem: at tamen ministerii legitimi anima, vera prædicatio. Si enim tu vel millies ritè ordinatus esses, falsa autem doceres, utiq; pseudopropheta esses. Quantò ergo rectiùs Chrysostomus y; *Quoniam in Ecclesiam exeunt seductores, nullis eorum*

Ratio contra Evangelicorum missionem.

Ejus solutio.

t Parte 3. Apolog: cap:7.

Ministri Diaboli ex professo veritatem docere nō possunt.

u Hom: 19. operis imperfecti.

x Ioan:3. v:34.

Vera prædicatio anima Ministerii.

y Homil: 29. in Matth:

eorum credendum est, nisi ea dixerint & fecerint, quæ sunt convenientia scripturis.

Ad extremum capitis, hac nos ratione oppugnas. *Scriptura non fit propria interpretatione, si valeret provocare ad scripturarum interpretationem, eßet populo, & singulis de plebe, deferre judicium de Scripturis, & earum vera intelligentia, quod est omnium errorum seminarium.* Respondeo, Smigleci, scripturam non esse privatæ interpretationis: non enim ex mente & libitu unius (ut vos ex mente unius Pontificis vultis) interpretanda est scriptura; sed ex publico spiritu, quo conscripta est: nempè scriptura, per ipsam scripturam, obscuriora loca, per illustriora; pauciora per plura; idq; juxta Analogiam fidei. Quod infra perspicuè demonstrabitur.

Scriptura non est privatæ interpretationis.

Si, inquis, *judicium de Scripturis & eorum intelligentia populo deferatur, hoc esset omnium errorum seminarium.* Video, Smigleci, quorsum collineetis. Vultis auditores vestros sine omni judicio esse, quò faciliùs ipsis brutam & irrationalem obedientiam persuadeatis. Ita enim Cardinalis vester inquit: *Obedientia irrationalis, est consummata & perfectissima obedientia, scilicet quando obeditur sine inquisitione rationis, sicut jumentum obedit domino suo.* Sic quidem Spiritus Iesuiticus: Sed aliter Spiritus Iesu, dicens: *Scrutamini Scripturas* &c. quod certè citra judicium fieri nequit. Sanè ista bruta obedientia, est ille equus Troianus, ex quo tot ignari religionis Christianæ, carbonaria fide contenti, prodierunt, adeò, ut quemadmodum ille, in media Roma, Romam quærebat, sic nobis in media Christianitate, quam soli vobis superciliosè arrogatis, vera Christianitas quærenda veniat.

Bruta obedientia.

Cardinalis Cusanus lib: 6. Excitat.

Ad Simile verò tuum, per Simile congruentiùs adaptatum respondeo. Si intempesta nocte, ordinarii vigiles, somno vinoque sepulti jacuerint, hostis verò, urbem invasurus, mænibus scalas admoverit, sit licet, ex infima plebe, qui populum, ad defensionem, excitârit, non solùm ab eo, cujus authoritate fecerit, non quæritur; sed hostibus ab urbe repulsis, postea illi præmia decernuntur. Sic factum in Ecclesia, sepulti fuerant vigiles ordinarii, avaritiâ, ambitione, superstitionibus: etiamsi ex plebe Lutherus & alii fuissent, per quos Deus Ecclesiam experrectam voluit, numini potius, pro tanto beneficio, solennes gratiæ agendæ; quàm ab illis ratio poscenda, quâ autoritate freti, reformationi Ecclesiæ manus admoverint.

Ad Simile Smiglecii per simile respondetur.

Ad Caput quartum responsio.

SED ne sine adversario pugnare videaris, Philippum Mornæum, virum in tota Gallia celeberrimum, adoriris; ex quo & pauca excerpis, & ordine non satis servato, refutas. Quid ergo Mornæus? *A ministris* inquit, *Evangelicis miracula exigenda non sunt: tum quia non novam doctrinam inducunt, sed antiquam restaurant, tum quia Christus Sathanæ miraculum petenti, non miraculo, sed Scriptura satis fecit.* Rationes certè solidę; quid tu ad eas Smigleci? *Errat*, inquis, *Mornæus. Nam satis manifestè ostendimus, neminem sibi posse sumere honorem hunc, nisi sit vocatus tanquam Aaron.* Imo tu ipse erras, Smigleci, & statum controversiæ invertis, non enim inter nos controvertitur: Vtrum quis privatim possit sibi hunc sumere honorem, consentimus enim neminem posse; sed, utrum omnis immediatè & extraordinariè vocatus, vocationem suam teneatur miraculis probare. Quod tu affirmas, ego verò id falsum esse, superiùs evici.

Mornæi Rationes.

Smiglecki invertit statum controversiæ.

Iam ergo de Reformatione multa disputas, nec tamen habes, ubi pedem certò figas. Nam quod asseris, *reformatores religionis debere miraculis suam potestatem confirmare*, postea luce veritatis victus, infringis, dicens. *Vbi ordinarii pastores reformant, non tenentur proferre miracula.* Hanc tibi vocem expresserunt manifesta exempla, [z] *Iosias enim ex volumine legis religionem reformaturus, nullum protulit miraculum.* [a] *Esdras religionem restauraturus nullum edidit, populus etiam ab eo nullum exegit, solâ lege Dei scriptâ contentus.* Quid verò tu ad ista, Smigleci? dicis, *ordinarios pastores fuisse.* Quasi verò Lutherus, Oecolampadius, Zvinglius, Bucerus privati fuerint? an non erant Presbyteri? an non Theologiæ doctores? quâ ergo fuerunt presbyteri, ex conscientia tenebantur administrare Sacramenta, non mutilata, sed juxta primam Christi institutionem; ac ita utraque species cænæ domini restituta est: quâ fuerunt doctores, ex formula juramenti, necessariò tenebantur, & viva voce, & scriptis, puritatem doctrinæ ex verbo Dei scripto asserere, quod strenuè fecerunt, ac ita nobis, benedicente domino, lux Evangelii rediit.

Ad reformationem miracula nõ sunt necessaria, sed sola Scriptura.

z 4. Reg: 22, 23.

a 2. Esdr: 4.

At oppugnas nos ratione. *Si quis privatus vellet Rempub: reformare, turbator haberetur. Ministri merè privati accedunt ad reformationem, turbatores igitur sunt pacis Ecclesiæ.* Respondeo. Si quis privatus ad Rempub: bene constitutam reformaturus eandem accesserit,

Ratio Smiglecii.

Ejus solutio.

ferit, turbator meritò haberetur. At neque vestra Ecclesia bene constituta fuit, nec illi, qui reformationis opus primi aggressi sunt, privati fuêre. Ratio itaque tua in ventos abiit, nisi fortè privatum sit apud vos, presbyterum & Theologum doctorem esse.

Porrò ut nobis odium confles, dicis, *quod ministri sub specie reformationis, seditiones & bella civilia in Ecclesia Dei excitant, & homines ab odientia suorum legitimorum pastorum, & ab antiqua mille sexcentorum annorum fide avertere conantur.* Idem criminis obiectum fuit Christo [b] *Concitavit populum.* Idem Paulo de [c] templo profanato. Gratias agimus Deo, quòd nos in ea navi Ecclesiæ vehi velit, quam procellæ calumniarum obruere nitebantur. Solatur nos, ipsa mens, conscia recti; nulla enim civilia bella excitamus: Deũ potius precibus sollicitamus, ut concessa tranquillitate conscientiis, pace quoque temporali, frui nos permittat. A legitimis pastoribus, nullum avocamus, sed ab illis, de quibus dominus: [d] *Relinquite eos, cæci sunt, duces cæcorum.* Neminem etiam ab antiqua fide, sed à recèns inventis erroribus, avocare conamur.

b *Luc: 23. v: 5.* c *Act: 24.*

Ministri nulla civilia bella excitant.

d *Mat: 15. v: 14.*

Pugnas iterum ratione. *Prudentes viri censent ad reformationem in Repub: tum demùm accedendum esse, quando mala, quæ Respub: patitur, non alicuius duntaxat, qui decipi potest, iudicio mala sunt, sed omnium consensione, ut nullus sit, qui diffiteri possit, mala esse. At si qui vocent ea Reipub: mala, quæ semper pro bonis in Repub: sunt habita, illi non Rempub: reformare, sed de suo statu deturbare, volunt. Talis est causa Evangelicorum &c.* Respondeo. Alia est ratio, Smigleci, Reipub: in qua tamen nec id, propter factiones seditiosorum possibile est: alia Ecclesiæ. Si enim omnium consensus in reformatione exspectandus fuisset, reformatio nunquam sperari potuisset. An illi in reformationem Ecclesiæ Dei unquam consensissent, qui deformationis autores extitêre? & quorum, reformatione accedente, vilesceret autoritas? Nunquam certè à lupis speranda ovibus salus: & universalis omnium consensio, in generali post Antichristum apostasia, prorsus impossibilis. Hoc certè in laudem Dei cædit, quòd non per pontificem, triplici corona insignitum, non per mitratos Episcopos, (hoc enim humano brachio asscriberetur) sed per suos, inferioris sortis, servos, tantum opus efficere voluerit.

Ratio Smiglecii contra reformationem Ecclesiæ.

Ejus solutio.

In reformatione Ecclesię omnium consensus impossibilis.

Quod verò, Smigleci, dicis, *Evangelicos sub specie reformationis, ea sibi oppugnanda accepisse, quæ semper in Ecclesia Dei pro bonis habita sunt.* In eo certe principium petis. Sumis enim tibi pro concesso, de quo maxima, inter nos, controversia. Nunquam evinces, Missam privatam, Transubstantiationem, sanctorum invocatio-

 nem,

nem, purgatorium, intra sexcentos à Christo annos, in Ecclesia Dei, pro bonis, habita esse. Tentavit quidem id probare apostata Hardingus, à Iuello Anglo, Sarisburiensi Episcopo provocatus, sed irrito conatu. Sophismata enim ipsius Iuellus doctissimè solvit, & loca patrum, quibus abutebatur, à corruptellis illius strenuè vindicavit. Quod autem ad Magdeburgenses attinet, iis certè injuriam facis; Non enim scribunt hosce errores semper in Ecclesia obtinuisse; sed in suis Centuriis candidè notant, quibus seculis, ad errores aliquos, facta sit aliqua inclinatio. Inducis quærentes Evangelicos. *Quid facto opus est, cùm Episcopi & pastores ordinarii ex officio non reformant.* Respondes, *nihil facto dominis Evangelicis opus eße & omninò à tali reformatione abstinendum.* Ita quidem Iesuita; sed aliud Iesus. [e] *Cavete à fermento Pharisæorum.* [f] *Exi de Babilone popule meus, ne fortè accipias de plagis ejus.* Aliter discipulus Iesu: [g] *Secede ab eis, qui sunt ejusmodi.* Recte Cardinalis Cusanus: *Cùm Papa est hæreticus, tum unusquisq; laicus tenetur se ab illo separare, & per ipsam separationem dicit illi anathema.* Pergis & causam subjungis cur reformationem Evangelicam nolitis: *Pastores*, inquis, *Ecclesiæ Catholicæ reformationem Evangelicam nolunt, non quia nollent videre reformatam Ecclesiam: sed quia reformatio, quam urgent Evangelici, non sit reformatio, sed deformatio, contraria verbo Dei, doctrinæ & traditioni Apostolorum.* Hîc verò Smigleci tacitè concedis Ecclesiam Romanam deformatam esse. Si enim velles videre reformatam, innuis eam esse deformatam. Quod verò scribis, Evangelicorum reformationem, esse deformationem contrariam verbo Dei, hoc proba, & viceris, manus dabo, herbamq; tibi porrigam. Reformatur aliquid, ubi ad pristinam formam quippiam revocatur, sicut Christus reformavit matrimoniū, dicens: [h] *Ab initio non erat sic.* Iam verò cultus Dei, & administratio Sacramentorum, ad pristinam formam, juxta primævam Christi institutionem, revocata sunt, non itaq; deformavimus, sed reformavimus Ecclesiam. Si quis aliquam corporis partem mutilet, deformat corpus. Vos cænam Domini, unâ parte populo ereptâ, mutilâstis. Ergo deformâstis: Multis superstitionum sordibus domum Dei, contaminâstis. Istæ sordes, scopis verbi Dei purgatæ, ex Ecclesia ejectæ sunt. Reformata igitur est per nos, non deformata Ecclesia.

At iterum reponis. *Si Reformatio fieri debet, opus est, ut mala sint certò mala, quæq; non aliquibus tantum, sed omnibus mala esse videantur, maximè iis qui ex officio Rempub: gubernant.* Concedo, Smigleci, mala debere esse certò mala, sed ut ab omnibus sciantur esse mala, id verò

Quid facto opus ubi ordinarii nō reformant?

e *Mat: 13. v: 33.*
f *Apoc: 18. v: 4.*
g *1. Tim: 6. v: 3, 5.*
Lib. 2. de Concor: Cathol: cap. 17.

Ecclesia Romana deformata.

Quid sit reformare.

h *Mat: 19. v: 8.*
Ministri Evangelici, non deformarunt, sed reformarunt Ecclesiam.

In reformatione Ecclesiæ judicium paucorū probatæ fidei sufficit.

id verò pernego, ſatis eſt ſi probatæ fidei & integritatis viri, certò evicerint, mala eſſe. Porro corruptum in Eccleſia Romana ſtatum, multi boni viri viderunt, & reformationem à Deo ordinariisq; paſtoribus, precibus flagitârunt. Sic enim ſcribit Bernardus ad Eugenium:[i] *Quis mihi*, inquit, *det, antequam moriar, videre Eccleſiam, ſicut fuerat in diebus antiquis, quando Apoſtoli jactabant retia, non in capturam auri & argenti, ſed in capturam animarum: Eradica manibus tuis, quod non plantavit pater cæleſtis. Hoc expectat Eccleſia mater, hoc puſilli cum majoribus deſiderant.*[k] Babtiſta Mantuanus.

Probatæ fidei viri, corruptum Eccleſiæ ſtatum viderunt.

i Epiſt: 237.

Sancte pater, ſuccurre, Leo, Reſpublica Chriſti
Labitur, ægrotatq; fides, jam proxima morti.

k Mant. lib: 4. Faſt:

Franciſcus Petrarcha.[l] *Nulla ibi pietas, nulla Dei reverentia, de veritate ſileo. Nam quis unquam vero locus, ubi omnia mendaciis plena ſunt?*

l In Epiſt. ad amicum.

Ferus:[m] *Negare non poſſumus, Eccleſiam matrem deturpatam eſſe variis ſuperſtitionibus.* Ioachimus Abbas.[n] *Duo mala fecit Roma, inter alia graviora, ſpiritualia propter temporalia relinquendo: virtutes propter vitia, doctrinam S. propter Philoſophos & Leges: eligendo ſibi, pro Chriſto Antichriſtum: pro Deo, diabolum: pro regno cælorum, infernum.*

m In cap: 20. Exod.

n In Cap: 2. Hier.

Vicelius etiam concionator Pontificius non incelebris, reformationem Eccleſiæ ex animo cupiebat, teſtes ejus conciones Dominic: 4. poſt Natalem Domini. Dominic: 10. & 11. poſt Trinit:

Cornelius Epiſcopus Bitontinus in Concil. Tridentino, ſic queſtus eſt. *Utinam*, inquit, *à religione ad ſuperſtitionem* (loquitur autem de veſtris) *à fide ad infidelitatẽ, à Chriſto ad Antichriſtum, à Deo ad Epicurum, velut prorſus unanimes non declinaßent, dicentes, in corde impio & ore impudico: Non eſt Deus.*

[o] Iohannes Sariſburienſis Adriano 4. ſignificavit, *multos de Eccleſia Romana ita ſentire, quod potius noverca ſit, quàm mater.* Petrus de Alliaco Cardinalis.[p] Reformationem Eccleſiæ neceſſariam eſſe probat ex verbis Bernardi ſuper Cant: Serm: 30. *Serpit hodie putida tabes, per totum corpus Eccleſiæ, & quo latius, eò deſperatius.*

o Lib: 6. Polycr.

p De reformat Eccl:

Caſſander.[q] *Hodierna*, inquit, *Eccleſia Romana non leviter in moribus, in diſciplina, adde etiam, in ſinceritate doctrinæ, ab illa antiqua, unde creverat, degeneravit.*

q In Conſult: art: 7. pag: 43. ad Imperat: Ferd. & Max.

Caranza ordinis Dominici.[r] *Abuſus*, inquit, *& perverſæ opiniones irrepſerant in Eccleſiam.*

r In ſum. Conc: in Vita Serg: 3.

En habes Smigleci probatæ fidei & integritatis viros, qui & mala in Eccleſia Romana viderunt, & reformationem à Deo & ordinariis,

dinariis flagitarunt. Nec solùm reformationem, sed & novos Ministros, vestris non contenti. Ita enim, Mantuanus lib:3. Calamit.

Nihil adjutoribus istis
Auxilii sperate, novis date templa Ministris:
Sacrilegum genus ex adytis templisq; Deorum
Pellite, nec longos scelera hæc vertantur in usus.

Novos Ministros pii viri flagitarunt.

Quorum authoritas si apud vos est nihili, saltem Adrianum 6. Pontificem vestrum nullo prætextu rejicere potestis. Hic verò talem instructionem dedit Francisco Chæregato, ad comitia Norinbergensia proficiscenti: f *Scimus in hac sancta sede multis ab annis, multa abominanda fuiße: abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia deniq; in perversum mutata. Nec mirum, si hæc ægritudo, à capite in membra, à summis Pontificibus in inferiores prælatos, dimanârit.* Quidni ergo nos, Smigleci, reformatam religionem gratissimis animis amplectamur, quâ tot piis viris, eam ex animo cupientibus, frui non licuerit? Benedictum sit nomen Domini, qui nos tanto beneficio dignatus est.

f *Fasciculus rerum expetend.*

Vbi de reformatione, multa quidem, sed infelici conatu, disputasses, ad Mornæum redis: cujus primâ ratione, eaq; maximè fundamentali prætermissâ, posteriorem expugnare conaris. *Christus Sathanæ exigenti miraculum, non miraculo, sed scripturâ, satisfecit.* Responde Smigleci. *Respondeo*, inquis, *Christum non cuivis tentanti & poscenti, item non quovis loco, nec quâvis occasione, debuisse miraculum edere.* Id quidem verum est. Sed ex ratione Mornæi hoc contra te inferri potest. Si Christus diabolo exigenti miraculum, non miraculo, sed scriptura satis fecit. Ergo & ministri Christi, instrumentis Sathanæ, non miraculis, sed scriptura, satisfacere debent. Quod quoniam strenuè faciunt, immeritò miracula ab ipsis exiguntur. Quòd verò aliquot locis probas, Christum vocationem suam aliquando probasse miraculis, libenter concedimus: nova enim ejus instituta, novis miraculis confirmanda erant.

Non miraculis sed Scriptura instrumentis Sathanæ satisfaciendũ.

Pergit Mornæus, & tu subsequeris. *Magnum eße*, inquit, *miraculum, si angelus de cælo novum Evangelium attulerit, & tamen huic non eßet credendum: Ergo ut alicui credatur, miracula exigenda non sunt.* Item urget. *Aut nobis edentibus miracula crederetis, aut non. Si non crederetis, frustra exigitis. Si crederetis, pari ratione Antichristo, miraculis instructo, crederetis.* Responde: *Respondeo*, inquis, *nos non frustra à ministris exigere miracula, nempè, non ut illis credamus, sed ut non credamus.* Nihil certè ad rombum, Smigleci; Si enim exigitis, ut non credatis, frustra Deum in nobis tentatis. Subjicis: *Quia Ministri*

nullá miracula facere poßunt, ideò nullam fidem merentur. Falleris, vir doctissime; vos enim Iesuitæ nulla etiam miracula edidistis, tamen aliquam fidem meremini. Quia verò Ministri purum verbum Dei, quod est ipsa veritas, docent, apud omnes bonos, jure optimo, fidem merentur. Porrò multos sinè miraculorum testimonio à Deo missos fuisse, superius tibi probatum est.

Dicis, Smigleci, *impossibile esse ut Evangelici edant miracula.* Quid manum Dei abbrevias? & per Evangelicos posset Deus miracula edere, si ea Ecclesiæ suæ conducere videret, quam hisce extremis temporibus, non à miraculis, sed à verbo suo, totam pendere voluit. Verbum suum Ecclesiæ, miracula [t] Antichristo reliquit, quibus vos ipsi fascinati, magnę parti orbis illusistis, ut in vobis impletum videatur illud: *Seduxerunt populum meum in miraculis.* Quanto ergo rectius Chrysostomus: [u] *Nunc signorum,* inquit, *operatio penitùs sublata est, & magis apud eos inveniuntur fieri ficta, qui falsi sunt Christiani. Qui ergo vult cognoscere Ecclesiam, quomodo cognoscet, nisi per scripturas?*

Deus verbum Ecclesiæ, miracula Antichristo, reliquit.

t *2. Theß: 2. v: 9.*

u *Hom. 49. Operis imperf.*

Sed ne sine ratione loqui videaris, addis: *Deus non potest sibi esse contrarius: cùm pro fide Catholica tot ediderit miracula, nulla potest pro Evangelicis.* Verum est, Smigleci, Deum non esse sibi contrarium, [x] *Seipsum enim negare non potest*, sed id quoque negari nequit, quod Deus & natura nihil frustra faciant. Cùm itaque Deus pro confirmanda Evangelii doctrina, quam nos soli amplectimur, tot & tanta miracula ediderit, extremis hisce temporibus, novis miraculis, frustra eandem confirmare non vult.

x *2. Tim: 2. v: 13.*

Cur nunc Deus nō facit miracula

At Mornæum exagitas, qui *loco miraculi habendum duxit, quòd Lutherus solo Dei verbo, imperium Babylonicum à fundamentis concussit, & regna integra à tyrannide Papæ liberavit.* Hoc quidem non est miraculum propriè dictum, sed tamen opus Dei admirandum, omnibus enim modis Evangelii accensam lucem, Pontifex extinctam voluit: irrito conatu, [y] *Hic enim Dei digitus erat.* Lutherum tamen cum Arrio & Machomete indignè confers, nec sine blasphemia dicis, *quod Arrius Solo verbo Dei, pestilentissimam hæresim, in orbem Christianum invexerit.* Non tam in Lutherum Smigleci, injurius es, quàm in ipsum sacrosanctum Dei verbum, quod cum Hæresibus ex diametro pugnat. Abusus est quidem Arius verbo Dei, sed tamen ex eodem, in Concilio Nicæno hæreseos convictus & damnatus est, ita suadente [z] Constantino M. Imperatore laudatissimi nominis, quem Eusebius, [a] communem quendam Episcopum divinitùs constitutum vocat. *Evangelici*, inquit *& Apostolici libri,* planè

y *Exod: 8. v: 19.*

Arius ex Scriptura hæreseos damnatus.

z *Theodoretus lib: 1. cap: 7.*

a *apud Espensæum Comment in priorem ad Tim: cap: 3.*

planè nos instruunt, quid de divinis rebus sentiendum sit: proindè hostili posita discordia, ex verbis divinitùs inspiratis, sumamus quæstionum explicationes. Relicto Mornæo in Lutherum irruis, quem multis probris oneras, ut per latus Lutheri doctrinam confodias, rectè enim de tuis similibus olim Augustinus: [b] *Cum,* inquit, *Scripturæ veritatem criminari, aut obscurare, non possunt, per quos prædicatur, inducunt in odium, de quibus quidquid in mentē venerit, effingere non verentur.* Lutherum igitur vocas excuculatum. Quid tum Smigleci? non magnum sanè scelus, cuculam, quâ nullus Apostolorum indutus fuit, deponere: licet eandem indignè cum baptismo comparetis, ita enim scribit Bernardinus: [c] *Eadem gratia descendit super eum, qui habitum religionis assumit, & super eum, qui baptizatur.* Quomodo ergo stare poterit illud Pauli, [d] *Vnum Baptisma.* Dicis, *Lutherū sacrilego matrimonio sibi monialem Deo dicatam copulasse.* Non sacrilego, sed legitimo matrimonio copulavit. Certè in antiqua puriori Ecclesia non tanto sceleri vertebatur, si monachus pater liberorum evaderet. Ita enim scribit Athanasius: [e] *Multi ex Episcopis matrimonia nō inierunt. Monachi contra, liberorum parentes facti sunt &c. Sic enim licet, & ad eundem modum non prohibebitur, sed quisque, ubi volet, decertet.* Virginibus etiam Deo dicatis, si continere nollent, aut non possent, nubendi potestas dabatur. Ita Cyprianus: [f] *Si autem,* inquit, *perseverare nolunt, aut non possunt, melius est ut nubant, quàm in ignem, deliciis suis cadant.* Audi Augustinum: [g] *Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse; ego autem dico vobis, quòd tales peccant, qui tales dividunt.* Idem: [h] *Non mihi videntur accuratè satis ac diligenter considerare, quid dicant; fallit eos quippe similitudo veritatis.* Vides, Smigleci, quale fuerit, venerandæ antiquitatis, de matrimonio contrahentium, post votum judicium, cui vestrum, per omnia, contrarium: jam enim, à multo tempore, antiquæ doctrinæ nuncium, remisistis. Sed ne quid cumulo probrorum desit, multa paradoxa, & horrenda auditu verba, Luthero affingis, quæ cùm alibi reponas, inferius sufficiens responsum habebis.

Personâ Lutheri probris sauciatâ, admirandum opus Dei, quod per Lutherum edidit, carpis, dicens: *Non mirum videri debere, si Lutherus aliqua regna doctrinâ suâ infecerit, cùm ejus Evangelium sit carnale & delicatum.* Quî verò id probas Smigleci? *Iejunia,* inquis, *tollit.* Falleris Iesuitarum doctissime. Non iejunia vera, sed delectum ciborum inventum [i] spiritus deceptoris, Evangelium sustulit: iejunia autem vera in Ecclesiis nostris, frequenter celebramus, quibus ad Deū preces adjungimus, juxta mandatum Dei. [k] *Sā-*

ctificatur

b *Epist: ad Hippon.*
Lutheri vita vindicatur.
c *In Rosario.*
d *Eph:4.V:5.*
Lutheri matrimonium.
Post votum poterant uxores ducere & nubere.
e *Ad Dracontium.*
f *Lib:1.Epist:11.*
g *Habetur apud Gratian. Dist. 27. Can: Quidā.*
h *De bono Viduitatis C:10.*
Demonstr:9.
Evangelici non tollunt jejunia.
i *1. ad Tim:4. V:3.*
k *Ioel:1.V:14.*

ctificantur iejunium, vocate cætum, congregate senes, omnes habitatores terræ, in domum Dei vestri, & clamate ad dominum.

Pænitentias, inquis, *& afflictiones ridet.* Erras, Smigleci, docemus enim sine vera pænitentia, nemini adulto salutem, obtingere posse, ita dicente Christo: [l] *Nisi pænitentiam egeritis, omnes peribitis.* Ridemus, Smigleci, non seriam pænitentiam, id enim atheismum redoleret, sed vestras spontaneas, quæ hypocrisim, & [m] Baalismum sapiunt, afflictiones, fictasque pro peccato satisfactiones: quod facimus, verâ & sufficienti satisfactione Christi, contenti. Proinde laudamus subtilem doctorem, qui, [n] *Non potest*, inquit, *pro peccato satisfieri, nisi in virtute passionis Christi.*

Neque pœnitentiam.

l *Luc: 13. v: 5.*

m *3. Reg: 18. v: 28.*

n *Scotus in lib: 4. Sent: Dist. 15.*

Vota, inquis, *castitatis relaxat.* Non vota castitatis, sed laqueum, conscientiis injectum, relaxamus, sequuti Paulum, ita suadentem; [o] *Qui se non continent, matrimonium contrahant.* Multi Sacerdotes, & plerique Monachi, se non continent. Ergo. &c. Probatur nobis judicium Pii secundi, qui sæpius dicere solebat: [p] *Magna ratione Clero ademptum eße matrimonium, majore restitui poße: multi enim in honesto conjugio salvarentur, qui in sterili, & simulato, cælibatu, damnabuntur.*

Neque vota relaxant.

o *1. Cor: 7. v: 9.*

Matrimonium Clero restituendum.

p *Platina in Vita Pii 2.*

A legum, inquis, *quarumvis, homines, per libertatem Evangelii, liberat.* Hîc verò nobis à te manifesta infertur injuria. Legi enim divinæ adhæremus, politicas etiam & Ecclesiasticas ita admittimus, ut tamen semper firmum ratumque illud maneat, [q] *Magis oportet obedire Deo, quàm hominibus.* Non evicisti itaque, Smigleci, Lutheri Evangelium delicatum esse. Si enim propterea carnale est, quia Lutherus in conjugio vixit. Sequitur illum cultum, quem Patriarchæ, quem Moses, & Aaron, quem summi Pontifices, & aliqui Prophetæ Deo impenderunt, carnalem fuisse, quia in matrimonio vixerunt. Carnale etiam, te judice, Petri, Pauli, Philippique Evangelium fuit, quia fuerunt matrimonio copulati; de quibus tamen ita Ignatius, [r] *Opto Deo dignus*, inquit, *ad vestigia eorum in regno ipsius inveniri, sicut Abraham & Isaac, & Iacob, sicut Ioseph & Esaias & cæteri Prophetæ, sicut Petrus & Paulus & reliqui Apostoli, qui nuptiis fuerunt sociati, qui non libidinis causâ, sed posteritatis surrogandæ gratiâ, conjuges habuerunt.*

Neque à legibus liberos faciunt.

q *Act: 5. v: 29.*

Lutheri Evangeliũ minimè carnale.

Patriarchæ & Apostoli matrimonio copulati.

r *Epist. ad Philadel.*

Deniq; Smigleci Mornæum præstringis scribentem; *quòd Lutherus doctrinâ suâ regnum Pontificis everterit*, eaq; occasione, in laudes tuorum excurris, *affirmans nullo unquam tempore magis amplificatum esse regnum Pontificis, quàm eo ipso, quo Lutherus eum oppugnare aggressus est: Excitavit enim sibi Deus populum in utraq; India.*

Solus Christus Antichristi regnum evertet.

Concedo, Smigleci, Lutherum regnum Pontificis pænitus non evertisse. Solus enim [f] *Iesus Christus glorioso adventu suo illud radicitùs evertet:* sed tamen negare non potes, multa regna, liberas civitates, insulas, jugum Pontificis excussisse, collaq; sua dulci Christi jugo submisisse. De India verò mira, sed non credenda soletis nobis canere, quippe cum omnibus constet, vos non prædicatione Evangelii, non miraculorum gloriâ; sed vi, armis, ferro, igni, inermes & seminudos homines, non convertisse, sed potius evertisse. Ita enim scribit Franciscus de Vict: [t] *Cum audiamus apud Indos tot hominum cædes, tot spolia hominum alioquin innoxiorum, deturbatos tot dominos possessionibus, & ditionibus suis privatos, timeo, ne ultrà res progressa sit, quam jus fasq; permittebat.* Ita etiam vestræ Societatis A Costa. [u] *Tota res, inquit, ista vergit in obstinatam quandam invidiam & odium fidei, & certam perniciem hominum. Christus, quod non debet, tributum solvit, ne scandaliset: nos nullo modo debitas terras, si spoliemus, vexemus, prædemur, nullumné justum habebimus scandalum?* Idem. [x] *Hispani multos Indos, contra ipsorum voluntatem, baptizarunt.* Quid multa, teste eodem A Costa, [y] *Quemadmodum olim incredulitas Israelis salus fuit gentium, ita nunc Christianorum avaritia, Indorum vocatio facta est.*

Profectus verò in religione Indorum, bone Deus, quàm jejunus! de hoc audi eundem A Costa: [z] *Ab Evangelii, inquit: ingressu, post annos jam 40, in tam immensa turba, vix quenquam reperias, qui Symboli duo capita intelligat. Pecudes potiùs, quam homines habendi.* Ibidem. *Recitant illis bis terve in hebdomada symbolum, & preces hispanico Idiomate, quorum ne syllabam quidem intelligunt.* Pergit. *Ubi exquisitius res agitur, sacerdos sermone Indico, composita quædam, in formam Cathechismi, recitat, cùm tamen ipse linguæ Indicæ prorsus sit infans.* Concludit. *Tota igitur cathechisandi ratio umbratilis, & ludicræ similis.*

Non est itaq; Smigleci, quod gloriemini Indos à vobis conversos esse. Fuere enim ante Hispanos in India multi Christiani, quorum majores Thomas Apostolus, & Græci Christiani, fidem docuerunt. Ita enim scribit ipse vester Xaveri[a]. [a] *Socoterium insula in circuitu millia passuū fermè centum, tota incolitur ab iis Christianis, qui multis ab hinc annis Catholicis sacerdotibus orbati, nihil habent præter nomen.* Idem. [b] *Neq; desunt qui S. Thomam in Synas penetraße confirment, magnumq; eorum numerum ad fidem Christi convertiße.* Fatetur idem [c] Osorius. & Stapletonus lib: 1. de authoritate scrip: c: 14.

Sed Luthero succenses *quod ad illas gentes se non contulerit, nec*

luce E-

---

[f] 2.Theß:2. v:8.

Indorum converſio qualis.

[t] Relect:5.

[u] Lib: 2. cap:4. de Procur: Ind: salute.

[x] Lib:6. cap: 3.

[y] Lib:3. c:18.

Indorum in religione profectus qualis.

[z] Lib:4. c. 3. de Proc: Ind: salute.

Cathechizādi Indos ratio ludicræ similis.

Christiani in India ante Hispanos.

[a] Lib: 1. Epist:1. & lib: 2. Ep:11.

[b] Lib: 2. Ep: 3.

[c] Hist. Lib:3.

Cur Lutherus ad Indos se non contulerit.

luce Evangelii sui eas illustrârit. Immeritò sanè Smigleci id facis, Lutherus enim, non ad novam Ecclesiam erigendam, sed ad antiquam, quæ turpiter collapsa fuit, restaurandam, à Deo excitatus est, qui certè satis laboris, & negotii habuit, in extirpandis erroribus vestris, ita ut otii ipsi, non tantum suppeteret, quò tam remotas gentes invisere posset; sic enim erant Christiani, à vestris pastoribus, in religione eruditi, ut maxima pars eorum religionis mysteria pænitùs ignoraret, & quemadmodum ille, hominem inter homines quærebat: sic inter Christianos, qui verè sint, Christianos quærendos venerat. Licet autem Lutherus ad illas nationes, se non contulerit, navigarunt tamen cum Villagagno ad illa loca multi Evangelici Ministri, ut ex [d] Lerii historia patet: & non dubitamus, quin aliquando Deus, puriore verbi sui luce, illas quoq; gentes dignaturus sit.

Ministri Evangelici ad Indos navigarunt.

d *Hist: Navig: in Brasil.*

Ad Caput quintum responsio.

IN hoc quinto Capite, omnes nervos, intendis, Smigleci, ut probare possis, Ministros Evangelicos, vocatione & missione ordinariâ, destitutos esse: quod, an sis assequutus, age videamas.

Multa initio substernis, quæ tibi ad propositum faciliorem aditum faciant, cùm præstitisset, præmissas nudis argumentis confirmasse, nos igitur, in tua Sophismata, intentos esse oportebit.

Dicis, Smigleci, *pastores & Episcopos qui sunt positi à Spiritu S. regere Ecclesiam Dei, cum potestate regendi, potestatem quoq; mittendi Ministros, accepisse.* Id verò causam nostram minimè lædit. Postea vis, ut Ministri ostendant, *à quibus hominibus, & qua potestate præditis, missi sunt:* quòd facilè Ministri ostendere possunt. Si enim quæris à quibus hodie Ministri mittantur? mittuntur legitimè & ordinariè à suis Episcopis, & [e] integro Presbyterio, non sine cõsensu totius Ecclesiæ, præcedente [f] probatione in doctrina & moribus, subsequente verò manuum impositione, in jejunio cum precibus. Quid itaq; in eorum ordinatione desideras? Sin quæris de iis, qui primi reformationi Ecclesiæ manus admoverunt? In vestra Ecclesia a vestris Episcopis ordinati fuerunt, sed postea peculiari Spiritus S. afflatu commoti, tam insigne opus aggressi sunt.

Ministri Evangelici à quibus missi.

e *1. Tim: 4. v: 14.*

f *1. Tim: 3. v: 10.*

Iam verò ponis hoc Axioma. *Magistratus civilis & populus Ministros non potest creare.* Concedo, Smigleci, Magistratus & Populi primas partes, in ordinatione Ministrorum, minimè esse: sed etiam tu, consensum illorum, ad legitimam Ministrorum missionem, necessariò requiri concedas, necesse est. Si enim is, qui legitimè mittitur, [g] debet testimonium habere probatæ conversationis, etiam ab extraneis: multò magis igitur ab iis, qui sunt domestici fidei. Quod religiosè in antiqua Ecclesia observatum legimus. Ita enim disertè scribit Cyprianus: [h] *Propter quod plebs obsequens, præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi Sacerdotis, Sacrificia miscere: quandoquidem ipsa maximè habeat potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de divina autoritate descendere, ut Sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis, deligatur, & dignus atq; idoneus, publico judicio & testimonio, comprobetur.* Idq; Cyprianus probat exemplis Aaronis: *Num: 20. v. 25.* Matthiæ, *Act: 1. v. 21,* Diaconorum, *Act: 6. v. 3.* Hoc verò vos, in vestris ordinationibus, populo extorsistis: presbyteros enim vestros, ubi ordinati fuerint, non testimonio plebis ornandos, sed populo adorandos, ostenditis.

Populi in ordinatione Ministrorum quæ esse debent partes.

g *1. Tim: 3. v: 7.*

h *Lib: 1. Epist: 4.*

Damnas erroris Lutherum quod dixerit: *Omnes fideles jure Evangelico, esse Sacerdotes.* Locum si assignasses, facilius nobis constaret, quo sensu Lutherus ista dixerit. Proculdubiò tamen, hic est sensus verborum Lutheri: Ratione sacrificii propitiatorii, unum esse Novæ legis, Sacerdotē, cui in officio succedi, nequit: hic verò est, sol⁹ Iesus Christ⁹, de quo *Psal: 100. Tu es Sacerdos in æternū, secundùm ordinem Melchisedech;* de quo etiam Paulus *Heb: 7. v: 24. Hic autem eò quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Ratione Eucharisticorum, & Spiritualium Sacrificiorum omnes fideles sunt Sacerdotes: quia omnes tenentur, in sacrificium suavèolens, sistere domino. Cor contritum, *Psal: 51. v: 18.* Corpora casta, *Rom: 12. v. 1.* Opera misericordiæ, *Heb: 13. 16.* Laudes & gratiarum actiones, *Heb: 13. v: 15.* Ista itaq; doctrina non est Lutheri, sed est divi Petri, [i] *Et ipsi,* inquit. *tanquam lapides vivi, superædificamini domus Spiritualis, in Sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Item Ioannis Apostoli, ita disertè scribentis: [k] *Lavit nos à peccatis in sanguine suo, & fecit nos regnum & Sacerdotes, Deo & patri suo, ipsi gloria & imperium in secula seculorum Amen.* Hanc doctrinam S. Patres sequuti sunt, quod patet ex Tertulliano ita scribente: [l] *Nonnè & Laici Sacerdotes sumus? scriptum est, Laici Sacerdotes sumus, regnum quoque nos & Sacerdotes*

Quo sensu omnes fideles sacerdotes.

Sacrificia fideliū omnium.

i *1. Pet: 2. v: 5.*

k *Apoc: 1. v: 5. & 6.*

l *Lib: de Exhor: ad Casti: ut habet Polyd. lib: 4. de Inven: cap: 7.*

dotes Deo & patri ſuo fecit. Differentiam inter Sacerdotem & plebem conſtituit, Eccleſiæ autoritas. Item ex Cypriano, qui,[m] *Omnes*, inquit, *qui à Chriſti nomine Chriſtiani dicuntur, offerunt Deo quotidianum ſacrificium, ordinati à Deo, ſanctimoniæ ſacerdotes.* Dices, *Ergo poſt Chriſtum Sacerdotes propriè dictos nullos habetis?* Ita quidem eſt, Smigleci, ratione, ut dixi, propitiatorii Sacrificii, cujus reſpectu, nec ipſi quidem Apoſtoli, Sacerdotes unquam ſe dixerunt, quia nec fuerunt, in ſolum enim Chriſtum, tantum dignitatis cadit. Et tamen apud nos confuſio nulla. Sunt enim, in Eccleſia paſtores, ſunt oves. Paſtorum officium eſt, verbum Dei, purè docere, Sacramenta ritè adminiſtrare, diſciplinam Eccleſiaſticam ex præſcripto Chriſti, exercere. Ovium verò, paſtoribus ſuis obſequentes eſſe, verbum Dei avidè audire. Sacramentis frequentèr particapare, & ex verbo Dei, facilè ſe permittere corrigi. Audi Lutherum ſeipſum explicantem: [n] *Omnes ſacerdotes, quotquot baptiſati ſumus. Sacerdos nihil differt à Laico, niſi miniſterio.* Et alibi,[o] *Apoſtolus*, inquit, *omnia cum ordine fiant. At ſi omnes, Sacramenta porrigere velimus, quis futurus eſſet ordo? ſi omnes ſimul concionari, qualis ranarum coaxatio? omnes Sacramenta adminiſtrandi poteſtatem habemus, ſed nemo ſibi hoc tempore ut exerceat, aſſumere debet, niſi is, qui ab Eccleſia ad hoc deſtinatus fuerit. Idem ſentiendum eſt de poteſtate ligandi & ſolvendi.*

m *Serm: de Vnct: Chriſmat.*

Ratione ſacrificii propitiatorii, præter Chriſtũ, ſacerdotes nulli.

Confuſio apud Evanhelicos nulla.

Mat: 18.

n *Lib: 10. de Cap: Babylo.*

o *Dominic: proxim: Paſchat. in Ioan: 20.*

At iterum nos urges: *Proferant Evangelici Miniſtri à quibus Epiſcopus ſunt miſſi.* Iam tibi ſuperius protuli, Smigleci, & licet actũ agere cogar, in gratiam tamen tui, paucis repetam. Hodierni Miniſtri mittuntur, à ſuis propriis Epiſcopis, legitimè ad clavũ Eccleſiæ conſtitutis; qui verò primi Eccleſiam reformarunt, à veſtris Epiſcopis erant ordinati, ſed ad tantum opus ſingulari afflatu Spiritus S. excitati. Quid ergo in ipſorum ordinatione requiris? *Omnes*, inquis, *Miniſtri & Superadtendentes Evangelici à Luthero cæperunt, qui non ſolùm Epiſcopus non erat, ſed etiam abnegatus presbyter.* Non presbyteratum Lutherus abnegavit, Smigleci, ſed idololatriam ejuravit; abuſum Miniſterii, non legitimum uſum abnegavit, quin ſi quid boni in veſtra ordinatione fuerat, in uſum Lutherus, abnegatis ſuperſtitionibus, revocavit. At dicis: *Quod Apoſtata factus, omni poteſtate ab Eccleſia privatus eſt.* Si Lutherus, Smigleci, omni poteſtate privatus eſt, quod erroribus & Eccleſiæ veſtræ nuncium remiſerit, multo magis ergo vos, omni legitima poteſtate privati eſtis, qui à Chriſto, ad ejus hoſtem, defeciſtis. Ego verò dico Lutherum & alios poteſtatem, quam habuerunt, amittere nunquam potuiſſe: quod teſtimonio veſtratium evinco. Scribit Toletus Societatis

A quibus miſſi Evangelici Miniſtri.

Lutherus & alii, poteſtatem, quã habuêre, ammittere non poterant.

p *Lib:1. Cap: 3. Inst: Sacerdot.*
q *Relect: de potestate Eccl. Sectio: 3.*

cietatis vestræ: [p] *Omnis potestas est in omni sacerdote, nec ab eo auferri potest.* Quæ sit potestas ordinis declarat Franciscus de victoria: [q] *Potestas*, inquit, *Ecclesiastica duplex est. Ordinis & Iurisdictionis. Potestas ordinis est in ordine ad corpus Christi verum, id est, Eucharistiam. Potestas Iurisdictionis est, in ordine ad Christi corpus mysticum, id est, regendam Ecclesiam. Sed in potestate ordinis, non solùm intelligitur potestas consecrandi Eucharistiam, sed etiam disponendi, & idoneos reddendi homines ad Eucharistiam, ut est, consecrandi presbyteros, & alios ordines conferendi, & universa omnia sacramenta administrandi.* Ex quibus contra te concludo. Lutherus, Zvinglius, Bucerus, habebant potestatem ordinis: qui habent potestatem ordinis, possunt ordines conferre: Potestas ordinis ab his auferri non poterat, quos ergo illi ordinabant, legitimè ordinati erant. Expende verba tua, Smigleci, *Presbyteri quidem, eo quod sunt Presbyteri, habent potestatem ordinis, quâ sacramenta conficere, secundùm divinam ordinationem possint: eamq; retinent etiam Hæretici & Apostatæ facti. (quamvis eâ sine peccato uti non possint) non habent tamen potestatem Iurisdictionis, quâ uti in fideles, veluti in subditos possint.* O mirabilem potestatem! Quid quæso præstantius Smigleci? ipse ne Christus, an Ecclesia? caput, an membra? Si potestatem habent Presbyteri in Christum, in Ecclesiam non habebunt? an non majus est, Christum, sub Species panis, verbis mysticis, cælo devocare, (ut vos vultis) quàm hominem, ministerio Ecclesiastico destinare? In hoc certè nullum miraculum: in illo plurima, & admiramini & adoratis. Dices, quòd *Lutherus per excommunicationem omni potestate privatus est*; sed advertere debebas, injustæ excommunicationis, ut inquit Toletus, [r] sententiam nullam, nec quò ad Deum, nec quò ad Ecclesiam, ligare. De Luthero enim verè dici potest, quod idem Toletus, de cæco, quem Iesus curabat. [s] *Eum*, inquit, *excommunicant, & à consortio eorum, qui tum fideles habebantur, separant: at felix, qui pro nomine Christi absq; Synagogis factus est: maluit ejici è Synagoga, quàm à Christi confessione recedere.*

Excommunicatio Lutheri.
r *Lib: 1. de Instit: Sacer: c: 10.*
s *Comm: in Ioan: Cap: 9.*

Dilemma Smiglecii.

Tandem nos urgere vis hoc Dilēmate. *Dicant adversarii quo tempore Lutherus legitimè fuit vocatus & missus? Eo ne tempore, quo prædicavit ut Catolici: an postea, cum quintum Evangelium* (sic illudis verbo Dei) *docere cœpit? Si primum asserant, sequitur Catholicorum sacerdotum esse legitimam vocationem. Si secundum, quis Episcoporum illum tum miserit, cùm omnibus Episcopis & pastoribus ordinariis repugnaret.* Cornutum quidem Argumentum, sed cornua obtusa gerens. Ad quod simpliciter respondeo: Ordinatio vestra, in Luthero, ante-

Dilemmatis solutio.

ro, antequam aliis, Ecclesiam Dei reformaturis, facem prætulisset, similis erat [t] Lazaro in sepulcro jacenti. Vt enim Lazarus in sepulcro fuit nomine potiùs, quàm re Lazarus, ac revera quatriduanum ac fætidum cadaver; verùm accedente verbo Dei, & vocante Christo, statim vita rediit, adeò, ut re & nomine Lazarus in lucem prodierit: Ita Lutheri, & primorum illorum Doctorum, successio & vocatio, quæ per se quidem erat mortua, & vocationis potiùs cadaver, quàm vera vocatio, propter corruptellas Pontificias, vocante Christo, & Spiritum suum infundente, cæpit reviviscere, & obire suas functiones, atq; adeò longè nobiliores. Ita factum est, ut in reformatis Ecclesiis instauratus fuerit legitimus ordo, ex quo pastores ordinarii inter nos legitima successione propagantur. t *Ioan. 11.*

Objicis, *Lutherum ab Ecclesia ad talem prædicationem missum fuisse, quæ sit non suo sensu, sed sensu Ecclesiæ Catholicæ.* Si nomine Ecclesiæ Catholicæ, Smigleci, Ecclesiam Apostolicam, & illam, in qua illa venerandæ antiquitatis lumina floruerunt, intelligis, vocationi suæ, abundè fecit satis Lutherus: Sin præsentem Romanam Ecclesiam, ridiculus sanè, ne dicam, bis stultus, evasisset interpres Lutherus, putida glossemmata Pontificis vestri, sequutus si fuisset. Quàm enim bellè Pontifices vestri Scripturam S. interpretentur, infra cuilibet lectori cordato, perspicuum erit. His ita discussis, candidus lector facile videt, te probare non potuisse, Ministros Evangelicos legitima missione destitutos esse.

Ad secundam Demonstrationem, & Caput sextum, responsio.

Veri & legitimi Ministri, ritè consecrari, & ordinari debent.
Ministri Evangelici non sunt ritè ordinati & consecrati.
Non sunt igitur legitimi Ministri Evangelii.

Ad majorem propositionem tuæ demonstrationis, respondeo: Legitimos Ministros, ritè ordinari, & consecrari debere, stante politia Ecclesiæ: ubi verò Ecclesiæ status collapsus fuerit, non omnia semper adhiberi possunt, alioqui in solenni ordinatione adhiberi solita. Documento potest esse Amos, quem Deus à pascendo pecore avulsum, ordinariâ ceremoniâ, minimè adhibitâ, prophetare compulit. *Amos 7.*

In minore cardo totius controversiæ. Probandum itaque tibi in-

bi incumbit, Ministros Evangelicos ritè ordinatos & consecratos, nequaquam esse. In quo omnes tuas vires (sed vana sine viribus ira) periclitaris.

Quæ itaque, minorem probaturus, fusè dilleris, omnia eò recidunt.

Soli Episcopi possunt Ministros ritè consecrare.
Ministri Evangelici ab Episcopis consecrati non sunt.
Illorum igitur ordinatio irrita & nulla.

Presbyteri etiam possunt ordinanare, quia jure divino cum Episcopis idem sunt. Ratio 1.

Majorem tuam, Smigleci, constanter negamus: Cùm enim jure divino presbyteri & Episcopi unum sint, paris honoris, officii, & potestatis; jure ergo divino, non tantum Episcopi, sed etiam presbyteri Ministros ordinare possunt. Rationes pro nostra sententia habemus invictissimas. Quarum prima. Quia presbyteri & Episcopi (quod ipse agnoscis) communia sortiuntur nomina. *Philip: 1. v: 1. Omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis & diaconis*. Quomodo una urbs poterat habere plures Episcopos, ni Apostolorum temporibus iidem Presbyteri, & Episcopi fuissent? *Act: 20. v:* 28. Paulus presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ alloquutus, eosdem Episcopos vocat. *Attendite*, inquit, *vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos*. Idem: *Tit: 1. v: 5, 6, 7. Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem*. Vides, Smigleci, quòd Apostolus, quos presbyteros dixit, eosdem Episcopos vocet. Sanctus etiam Petrus presbyteros ita alloquitur: [u] *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei* ἐπισκοποῦντες, id est, providentes, curam illius agentes, &c. vel, ut alii volunt: inspectioni vacantes. Scripturam secutus Hieronymus in ea sententia fuit, ut Presbyterum & Episcopum unum idemque jure divino esse constanter assereret. Ejus enim verba sunt in Cap: 1. Tit. *Idem est Presbyter, qui Episcopus. Et antequam, instinctu diaboli, studia in religione fierent, & diceretur in populo, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò unusquisque, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur*. Infra: *Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex consuetudine Ecclesiæ ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos: ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quàm dispositionis domini veritate, presby-*

[u] *1. Pet: 5. v: 2.*

Iudicium Hieronymi.

presbyteris esse majores. Ex quibus verbis Hieronymi, Smiglеci, hoc consectarium habe: Quorum est Ecclesiam regere, illorum est Ministros legitimè mittere, te assertore.

Atqui, judice Hieronymo, jure divino presbyterorum est, communi consilio Ecclesiam gubernare.

Ergo illorum etiam est, pastores legitimè mittere.

Hieronymo adstipulantur Patres celeberrimi, Ambrosius, Augustinus, Sedulius, Primasius, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, teste Michaële Medina lib: 1. de Sacr: Hom: Orig: apud Bellarminum lib 4. de Eccl: milt: cap: 9. Sententia aliorũ Patrum.

Alia itaque proculdubiò causa fuit Aëreum hæræseos damnadi, quàm hæc, quòd jure divino, Presbyterum & Episcopum, pares esse docuerit. Tatianorum enim Heræsi adhæsit, dicens: *Non licere carnibus vesci, & neminem ad communionem admisit, nisi continentem*, teste Alphonso de Castro, titulo, Cibus: titulo, Nuptiæ. Erat præterea in totum Arianus, referente Epiphanio Her: 75. Quod si in hac parte Aëreus erravit, cum Paulo, cum Petro, cum Hieronymo, & cum tot sanctis aliis Patribus: qui (ut rectè observat vester [x] Gregorius à Valentia) post Aëreum scripserunt, nec ignorare potuerunt, si quid tale fuisset in Aëreo damnatum. In eadem sententia fuit Erasmus, ita enim scribit per expressum: [y] *Antiquitùs inter Presbyterum & Episcopum nihil intererat.* Et Cassander, cujus verba perspicua sunt: [z] *Convenit inter omnes, Apostolorum ætate, inter Presbyteros & Episcopos nullum discrimen fuisse.* Aëreus cur hæreseos damnatus.

x *Tom: 4. Disp. 9. quæst: 1. puncto 2. Sect: Hæc responsio.*

y *Annotat: in 1. Tim: 4.*

z *Lib: Consult: art: 14.*

Altera ratio nostra Smigleci. Idem officium Presbyteri, quod Episcopi; eadem itaque & potestas. Episcopi tenentur docere: Presbyteri tenentur docere: Episcopi tenentur sacramenta administrare, idem presbyteris faciendum est. Episcopi tenentur, gregem Dei pascere, idem muneris, presbyteris commissum est, *Act: 20. ℣. 28. 1. Petr: 5. ℣* 2. Præterea, summa autoritas est illorum in Ecclesia [a] *qui sunt duplici honore digni.* At cum presbyteri benè præsint & strenuè laborent in verbo, & doctrina; æquant itaque honore Episcopos. Ratio 2.

a *1. ad Tim: 5. ℣: 17.*

Quid verò tu Smigleci, ad hæc, tam firma & fundamentalia; profers tritum illud ex Hieronymo: *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non faciat presbyter? jus itaque ordinandi presbyteris auferre videtur.* Respondeo. Hieronymum loqui de consuetudine, quæ post tempora Apostolorum invaluerat, quâ jus ordinandi, ad Episcopos, devolutum videbatur. Sed cum jure divino, judice eodem Hieronymo, presbyteri & Episcopi idem sint, eo- Locus Hieronymi objicitur. Ad eum responsio.

dem ergo jure, jus ordinandi tam ad presbyteros, quàm ad Episcopos, pertinet. Veritas hujus sententiæ probatur, ex verbis Pauli: [b] *Noli negligere gratiam quæ inte est: quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Presbyterium itaq; jure divino, potest per impositionem manuum ordinare. Hic verò, Smigleci, aqua vobis cùm hæreat, effugia quæritis, & dicitis: *presbyteriũ esse cœtum Episcoporum.* Turpiter aut fallitis, aut fallimini: nam Paulo est presbyterium idem, quod Senatus & consessus presbyterorum: quod confirmo his rationibus. *Primò*, Sanctus Lucas in hac significatione, hac voce utitur: [c] *Coactũ fuit* πρεσβυτέριον τȣ λαοῦ *& principes sacerdotum & scribæ. Secundo* Ignatius sic definit. [d] *Quid est presbyterium? nisi cœtus sacer, consiliarii & confessores Episcopi. Tertiò.* Horum autoritas abs te si rejecta fuerit, refragari non potes Cornelio Pontifici, ita dicenti: [e] *Omni actu ad me perlato, placuit, contrahi presbyterium, aderant etiam Episcopi quinq;.* Vides, Smigleci, quòd Cornelius presbyterium ab Episcopis, discriminet. Hinc itaq;, contra vos, tale habes argumentum: Omne legitimum presbyterium, habet jus, per impositionem manuum ministros ordinandi, teste Paulo, 1 *Tim.4. v.14.* Omnis presbyterorum legitimus consessus, est presbyterium, judice Ignatio & Cornelio Papa; Ergo omnis presbyterorum consessus, habet jus, per impositionem manuum, Ministros ordinandi.

[b] 1. *Tim:4.* v:14

Quid sit Presbyterium.

1. [c] *Luc:22.* v:66.

2. [d] *Epist:ad Tral:*

3. [e] *Apud Cypr: lib.3. Epist: 11.*

Quid autem tu, Smigleci? Dicis *officia & potestates Episcopi & Presbyteri distincta fuisse.* Dicis quidem, sed non probas; affers enim tantum ea, quæ consuetudine potiùs, post Apostolos introductâ, quàm institutionis Domini, ut inquit Hieronymus, veritate, in Ecclesia obtinuerunt. Rationes autem tuæ, non satis virium habent. *In veteri lege*, inquis; *alia erat potestas summi Pontificis, alia communium sacerdotum.* Applica Smigleci, & conclude; In nova lege alia est potestas, summi Pontificis Christi, cujus summus Pontifex, typus erat: alia, sed par & communis, communibus Ministris ejus, quod certè longè verissimum est.

Officia Episcopi & Presbyteri minimè distincta.

Porrò in hoc Argumento, totum ferè acumen tuum; *Episcopo, Paulus commisit judicium, de presbyteris: Ergo prævaluerunt dignitate Episcopi.* Quasi verò, Smigleci, ex communi consensu, pares parem judicare non possint? An non erat Petrus (quem principem esse vultis) cæteris Apostolis par? [f] qui tamen tenebatur facti sui, quòd gentibus Evangelium prædicaverit, aliis rationem reddere. De quo verè Cyprianus: [g] *Hoc erant, inquit, cæteri Apostoli, quod fuit Petrus; pari consortio præditi; & honoris & potestatis.*

[f] *Act:11.* v: 5.

[g] *De Sympl: Prælat: seu unit. Ec.*

Presbyter consecrat.

Dicis postea *inauditum esse in Ecclesia, ut presbyter aliquem ordi-*

naverit. Erras, vir doctiſſime, *In Ægypto enim*,[h] teſte Ambroſio. *Si deſit Epiſcopus, conſecrat presbyter.* Addo. Minus ſe habet anus ad poteſtatem baptiſandi, quàm presbyteri ad jus ordinandi. At ſi, ex veſtra opinione, in caſu neceſſitatis, anus baptiſare poteſt: Ergo multo magis, in ſtatu collapſo Eccleſiæ, presbyteri jus ordinandi, divinitùs ſibi collatum, reaſſumere poſſunt: quamvis non negem (ſiquidem ita conſuetudo obtinuit) ut in Eccleſia benè conſtituta jus ordinandi præcipuè ſit, penes primum presbyterum, id eſt, Epiſcopum. Ita enim antiquo canone conſtitutum eſt:[i] *Presbyter cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas, juxta manus Epiſcopi, ſuper caput illius teneant.*

h *In Epheſ: capi 4.*
N.B.

i *Diſt: 23. Can. Presbyter.*

Ratio Smiglecii.

At oppugnas nos hac ratione. *Tantum poteſtatis quilibet habet, quantum ab aliis accepit. Nulli presbyteri accipiunt poteſtatem, alios ordinandi: Ergo illam habere nequeunt*. Reſpondeo, Smigleci, Duplex eſt modus, quo miniſtri aliquid accipiunt: Aut explicitè, aut implicitè. Explicitè quidem ab Eccleſia, hanc poteſtatem, Miniſtri non accipiunt, quia hæc conſuetudo, ut Epiſcopi presbyteros ordinent, jure Eccleſiaſtico, obtinuit. Implicitè verò, hæc poteſtas ipſis, ab Eccleſia, unà cum presbyteratu, confertur, quia jure divino, presbyteratui, talis poteſtas, ut ſupra probatum, annexa eſt.

Ad eam reſponſio.

A Theſi tranſis ad Hypoteſim & oſtendere vis, *quòd nos ordinatio Huſſi & Lutheri nihil juvet; cùm illi ordinati fuerint ad celebrandam Miſſam, & peccata judicialiter dimittenda, quæ Miniſtri cane, & angue pejus oderunt.* Reſpondeo. Quod Romana Eccleſia illud in ordinatione intendebat, abuſus fuit: legitimus verò Miniſterii uſus,[k] verbum Dei purè prædicare, & Sacramenta ritè adminiſtrare. Non enim ad ſacrificandum, ſed[l] ad *prophetandum* Miniſtris gratia Dei confertur, cum impoſitione manuum presbyterii, quem abuſum illi ſuſtulerunt.

Ordinatio Huſſi & Lutheri.

k *Matth: 28. v: 19.*
l *1. Tim: 4. v. 14.*

Quæris. *Si ad Catholicam ordinationem provocant, cur Calvinus vocat eam merum ludibrium, & cur in Eccleſia Romana ordinatos reordinant?* Ad utrumq; Smigleci reſpondeo. Ordinationem Eccleſiæ veſtræ, ludibrium vocat Calvinus, fortaſsè, ob raſuram, unctionem, & cæteras ridiculas ceremonias; ſacerdotum enim in gentiliſmo proprium erat, ut verticem deraſi præniterent, teſte Apuleio in Aſino. Reordinantur verò, in Eccleſia Romana ordinati, tum, quia ſtatu Eccleſiæ jam benè conſtituto, habemus, juxta praxim Apoſtolicæ Eccleſiæ, legitimam ordinationem, quam nemo, qui vult eſſe legitimus Miniſter, vili pendere debet: tum quia, in Eccleſia

Cur reordinantur, in Eccleſia Romana, ordinati.

 veſtra

Hoc patet ex formula juramentorum

vestra ordinati, non Christo, sed Pontifici, in patrocinium omnium errorum, jurârunt. Vtrùm aliquis vestram ordinationem, characterem bestiæ dixerit, mihi non constat; character enim bestiæ, omnibus membris Antichristi, imprimi debet; ego verò, absit, ut credam, solos sacerdotes Pontificios, esse membra Antichristi.

An Paulus à Lucio Episcopo ordinatus.

Hæc habes Smigleci ad fundamentalia, tuæ secundæ Demonstrationis. Obiter autem operæ prætium duxi, tuum errorem, in Theologia minimè tolerandum, annotare. *Scribis Paulum Apostolum à Lucio Episcopo ordinatum esse.* Sed te ipse Paulus erroris arguit, dicens, [m] *se non ab hominibus, neque per homines eße mißum.* Arguit te erroris tuæ Societatis Salmeron, qui sic distinguit ex Episcopo Albertanensi, inter Apostolum & Episcopum. [n] *Apostoli ex præcepto domini, compellebantur transire, à regno in regnum: Episcopi verò, suis in Ecclesiis, residere jubentur, ob utilitatem sibi commißorum.* Item vester à Costa: [o] *In militia,* inquit, *Christiana, duo sunt ordines: unus eorum, qui certo loco decertant, alter eorum, qui per omnia discurrunt, & omnibus opem ferunt: quod militiæ genus; Apostoli sibi sumebant: Episcopi suarum Diecæseum limitibus conclusi sunt.* Nec non Episcopus Espensæus, qui certè egregiè; [p] *Apostolatus,* inquit, *ab Episcopatu differt: quia ille immediatè à Christo vocatur, & certè habet Spiritum S. & omnium Ecclesiarum curam sustinet: hic mediatè vocatus, uni certæ sedi, præest.* Objicis locum *Act:13.* Ad quem respondeo, non tùm demùm Paulum ordinatum esse, sed preces peculiares ab Ecclesia pro Paulo, & collega ejus Barnaba, ad gentes, mittendis, conceptæ fuerunt. Nam ut rectè annotat Salmeron vester: [q] *Paulus ante hoc plus quàm undecem annos Christum noverat, & prædicaverat Evangelium in multis provinciis, & si tunc peculiariter ad gentes cum Barnaba collega missus fuerit.* Dices, *quid ergo acceperunt per manuum impositionem?* Respondeat pro me Ferus & Cajetanus. [r] *Manuum impositio testimonium verum fuit, quod a Spiritu S. electi & constituti sunt.*

m *Gal: 1. v: 1.*

n *Coment: in 1. ad Tim. 2. Disp: 2.*

Differentia inter Apostolatum & Episcopatum.

o *Lib: 5. de Proc. Ind: salut. c. 21.*

p *Comment: in 1. Tim. 1. pag: 4.*

q *Comment: in Gal: 2. Disp: 20. § Aliqui.*

r *Com: in Act: 1.*

Vt itaque Smigleci, ad propositum reversus, concludam: Cùm nullum defectum, in ordinatione Ministrorum, ostendere potueris, ego verò illorum legitimam ordinationem, sufficienter probaverim, cuilibet perspicuum esse potest, te nihil demonstrasse, quod in secunda Demonstratione, probandum susceperas.

Ad De-

Ad Demonstrationem tertiam, Caput verò Septimum, responsio.

QVicunque potestate remittendi & retinendi peccata carent, non sunt legitimi Evangelii Ministri.

Ministri Evangelici hujusmodi potestate carent. Non sunt igitur legitimi Evangelii ministri.

Majore Smigleci, libenter concessâ, Minorem negamus; Ministri enim Evangelici, eam potestatem remittendi peccata habent, quam Christus servis suis, contulit. Sed quàm latè se extendat, ista potestas, de hoc magna, inter nos, & vos, agitatur controversia. In ea, plusquàm oportet, amplificanda, multum tu quidem laboras, sed quàm feliciter, aliorum judicium, esto.

Magnam, inquis, *dignitatem Christus Ministris suis contulit:* Concedo Smigleci, magnam contulisse: sed & tu quoque concedas, necesse est, majorem sibi, reservasse: Nunquam enim terram cœlo, creaturam creatori, servos domino æquandos, dices. Ita enim potestatem Ministris contulit Christus, ut tamen in æternum maneat illud verissimum: [s] *Dabo clavem domus David, super humerum ejus: & aperiet, & non erit qui claudat, claudet, & non erit, qui aperiat.* Christus enim, ut absolutus dominus, cui vult, quando vult & quibus conditionibus ipsi libet, peccata remittit, ut potè Deus liberrimæ potestatis, & salvator, [t] *qui per seipsum purgationem peccatorum fecit.* At Ministri ipsius, non quibus illis placuerit, peccata remittere possunt, sed quibus Christus ea remitti iubet. Porrò cùm Christus non nisi credentibus, & seriò resipiscentibus, peccata dimitti velit, talibus, sub conditione fidei, & seriæ pænitentiæ, Ministri remissionem peccatorum & vitam æternam, pro ratione officii & potestatis, sibi à Christo collatæ, annunciant, ac eo ipso à peccatis solvunt. Id verò nullo negotio probari potest ex verbis Pauli, quæ tu non integra adducis: [u] *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans illis delicta ipsorum: Et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Hîc expressit Paulus, Smigleci, quæ sint partes Dei, quæ Ministrorum, in negotio salutis nostræ. Quid Deus facit? mundum sibi reconciliat. In quo? In Christo, quem posuit placamentum. Quomodo? Non imputando ipsis peccata, sed potiùs justitiam filii: infrà enim

Quantam potestatem Christus Ministris contulit.

s *Esa*:22.v:22. *Apoc*: 3.v: 7.
Quomodo Christus dimittit peccata.

t *Heb*: 1.v:3.
Ministri quomodo remittant peccata.

Locus Pauli.
u 2.*Cor*:5.v:19.

Quæ partes Dei & quæ Ministrorum in negotio salutis nostræ.

 sequitur,

x ℣: ult. N.B.

sequitur: [x] *Eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Ex quibus verbis colligitur, nos sic esse justitia Dei, in Christo, quemadmodum Christus factus est peccatum pro nobis. At Christus non infusione, sed imputatione peccatorum nostrorum, peccatum pro nobis factus est; nos igitur etiam, per imputationem justitiæ Christi, coram Deo justi sumus. Quid autem in hoc negotio Ministri faciunt? habentes positum in se verbum reconciliationis, legatione funguntur pro Christo; non judiciariâ, & arbitrariâ potestate absolvunt, aut ligant, sed obsecrant, pro Christo, ut reconciliemur Deo: qui paret huic obsecrationi, habet remissa peccata, qui verò eam [y] flocci pendit, habet retenta. Hoc exemplo D. Petri illustrari potest. Petrus in die Pentecostes tria millia hominum, post prædicationem verbi divini, à peccatis absolvit & baptizavit. An tanquam judex arbitrarius sedens, & singulos ad aurem, confessionem audiens? Minime, sed in publica prædicatione verbi Dei, compunctis corde, hasce conditiones, obtulit: *Pænitentiam agite: Baptizetur unusquisq; vestrûm in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus S.* &c. Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, ac eo ipso peccata soluta habuêre: cæteri corda, ad conditiones ab ipso oblatas, obduraverunt, ac ita illis peccata retenta fuêre. Vides, Smigleci, quod non aliqua absolutè collata judiciaria potestate, Petrus istos absolverit, sed clave verbi divini, quod tum prædicavit. Observatum hoc est à Tertulliano, qui, [z] *Clavem*, inquit, *Apostolus imbuit. Vides quam? viri Israelitæ auribus mandate, quæ dico: Iesum Nazarænum à Deo destinatum.* Hanc tu clavem comminutam vis, istâ ratione. *Potest*, inquis, *sibi quis ipse peccata annunciare, vel legere in scripturis, vel ab alio discere, qui non sit Minister. Ergo nulla erit ad hanc rem, Ministerii necessitas.* Erras, Iesuitarum doctissime, quia modos annunciandi, privatum nempè cum publico confundis. Possum quidem ego privatim verbum Dei legere, possum illud privatim à privato audire; attamen propter publicum exercitium religionis, & ædificationem Ecclesiæ, ad publicum ministerium, quod Deus in Ecclesia constituit, necessariò amandor. Pari ratione, possum quidem privatim ex lectione scripturæ, aut privati alicujus colloquio, in cujus sinum, ea, quæ conscientiam remordent, effudêro aliquod solatium, fauciæ menti percipere: attamen tutius conscientia mea acquiescit, ubi is, qui ordinariè vocatus est, si nactus eum, mole peccatorum pressus, ab illo consilium, & solamen petiero, pro me Deum precatus fuerit, meq; in nomine Dei, sub

Exemplum Petri.

y Act: 2. ℣: 37, 38.

Clavis verbi Dei.

z Lib. de Pudic. Act: 2. ℣: 22.

Ratio Smiglecii contra clavem verbi divini.

Ejus solutio.

Instãtiæ Smiglecii solvuntur.

Dei, sub conditione fidei, & veræ pænitentiæ, ex potestate sibi data, absolverit.

Instas. *Nemo dixerit, eum qui annunciat promissionem Dei, de remissione peccatorum, propriè peccata remittere.* Verum est. Non enim, si propriè loqui velis, Ministri peccata remittunt, sed solus Deus, qui,[a] *Ego*, inquit, *sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Rectè Ambrosius: *Peccata autem dimittere & Spiritum sanctum dare solius Dei est.* Audi etiam Ferum, in eandem sententiam, ita scribentem: [b] *Non est verè & propriè potestas remittendi peccata, sed facultas tantùm pronunciandi, declarandi, testificandi, à Deo ea esse remissa, quam dixero: En tibi certifico, remissa esse peccata.* 1.

Instas denuò. *Potest annunciare puer, fœmina, imo dæmon* &c. Ergo &c. In dæmones, Smigleci, cadere non potest, ut alicui remissionem peccatorum in nomine Iesu crucifixi, annuncient. De fæminis, & pueris quod dicis, apud vos forsitan verum est. Nam si in baptismo remissionem peccatorum homines accipiunt; remissio verò peccatorum, absolutionem includit; concessâ itaq; in articulo mortis baptizandi fæminis potestate, absolvendi quoq; à peccatis concedatis, necesse est. Quin etiam Discipulus vester refert, quòd quidam sacerdos de conjuge nobilis cujusdam, male sibi conscius, & metuens, ne à dæmone obsessus, scelus à se patratum proderet, ab auriga in stabulo, eidem peccata confessus, absolutionem acceperit, & ibi justificatus sit. Pueros quod attinet; si Episcopi potestatem absolvendi à peccatis habent, in Episcopos autem apud vos etiam pueri promoveri possunt, pueri itaq; apud vos absolvunt. Ita scribit Picus Mirandulanus: *Memini puerum quendam in Episcopi locum ascitum; qui, quoniam literas pænitùs ignorabat, cùm per jocũ interrogaretur, an magnos fecisset in disciplina progressus? Respondisse ingenuè, nondum se didicisse exordium orationis, quam de jure præfari solent sacerdotes, divina facturi.* Imo ipse Lombardus, in defectu sacerdotis, Laico confessionem facere, ac ita ab ipso absolutionem petere, monet. [d] *Si tamen*, inquit, *defuerit sacerdos, proximo vel socio facienda est confessio.* Absolutionem etiam aliquam privatam agnoscunt Patres; Ita enim Augustinus: *Cœpisti*, inquit, *habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra: cùm autem correxeris & concordaveris cum fratre tuo, solvisti eum in terra. Cùm solutus erit in terra, solutus erit in cælo.* Similiter Theophylactus: [f] *Si tu, inquis, offensus, habes eum, qui te offendit, tanquam publicanum & gentilem, erit ille & in cælo talis: si autem solveris eum, hoc est, si illi condonave-*

a *Esa: 43. v: 25.*

b *Ferus Com: in Matth: lib: 2.*

2.

c *In Variis exempl: exemplo 17.*

Laica absolutio.

d *De Pœnitent Distin: 1. Quem pœnitet, &c.*

Privata absolutio ex Patribus.

e *De verb: Domi secund: Matth. Serm: 16.*

f *In Mat: cap. 18.*

3.

donaveris, erit illi & in cælo condonatum. Non enim *solùm, quæ solvunt sacerdotes, sunt soluta, sed quæcunq; & nos injuriâ affecti, vel ligamus, vel solvimus, & ipsa erunt ligata & soluta.*

Instas tertiò. *Alia est potestas prædicandi, alia remittendi peccata,* &c. Non nego, Smigleci, latiùs se extendere potestatem prædicandi, quàm remittendi peccata; potest enim Minister prædicare, articulos fidei docendo; potest Sacramenta administrando, potest etiam disciplinam Ecclesiasticam exercendo, & à peccatis absolvendo. Ex verbo enim Dei ostendenda est gravitas peccati, ex verbo Dei petendæ consolationes, ne animus tristitiâ absorbeatur, ex verbo Dei consternatæ menti declarandum, sub quibus conditionibus, Deus paratus sit pœnitentibus peccata condonare; hoc ipsum verbum, & ligat & solvit. Quare necessariò concedendum est, potestati prædicandi, potestatem dimittendi peccata, inclusam esse. Si enim ex proprio arbitrio, & non ex Dei verbo, Ministri peccata ligant, vel solvunt, apud Deum, à cujus verbo insolidum pendere debent, totum fit irritum: ita dicente Hieronymo; g *Hunc locum* (Tibi dabo claves) *Episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi aßumunt de supercilio Pharisæorum, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur: cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed vita reorum, quæratur.* Nec extra rem vester Maldonatus. *Quæ, Pontifex,* inquit, *ligat in terris, ligata sunt in cælis; hoc intelligendum est clave non errante.* Sed ut probes aliam esse potestatem prædicandi, aliam verò peccata remittendi hanc conjecturam affers: *Cùm Christus prædicandi potestatem daret, non usus est ullâ ceremoniâ, neque impertivit Spiritum sanctum. At cùm potestatem peccata remittendi attribueret, adhibuit ceremoniam insufflationis, quo designabat plenitudinem potestatis se cõmunicare Apostolis.* Ad hanc conjecturam simpliciter respondeo. Cùm daret Christus Apostolis potestatem prædicandi explicitè, non usus est quidem ceremoniâ insufflandi; quia in die Pentecostes peculiari ratione in linguis igneis, Spiritum sanctum ipsis cælitùs missurus fuerat; sed tamen & hoc ipso tempore sine Spiritu sancto discipulos ad prædicandum nequaquam dimisit. Quomodo enim quippiam boni, in salutem hominum prædicare, destituti Spiritu sancto, potuissent? Porrò ceremonia insufflationis, non plenariæ potestatis, quâ se Christus privari non patitur, sed collatorum Spiritus Christi donorum, quæ discipulis conferri poterant, externũ signũ fuit: Plenaria autẽ potestas, quam sibi soli Christus reservatam vult, Apostolis minimè collata fuit, proinde nec Ministris conferri potest. Quod malo tibi verbis

g *In Cap. Mat. 16.*

Conjectura Smiglecii.

Responsio.

verbis Patrum, quàm meis comprobare. Ambrosius: [h] *Verbum Dei*, inquit, *dimittit peccata. Sacerdos est judex. Sacerdos quidem officium suum exhibet, sed nullius potestatis* (absolutæ videlicet & judiciariæ) *jura exercet.* Adstipulatur Augustinus, [i] *Ministerium*, inquit, (remittendi peccata) *dedit Dominus servis: potestatem autem sibi retinuit* &c. *Eam potestatem nulli servo daturus, sed sibi eam retenturus est, ne omnis imputet servo, quod Domino.* Non infeliciter, expedit eam difficultatem Durandus, ita differens: [k] *Deus*, inquit, *habet clavem autoritatis, quatenus absolutè remittit: Christus mediator clavem excellentiæ, quatenus satisfecit pro mundi peccatis: singuli Episcopi pastores clavem ministerii, quatenus beneficium mortis Christi prædicant*, &c. *Sin verò amplius aliquid sibi arrogant, nonné hoc est Dei autoritatem, & veritatem Christi, invadere?*

h *Apud Gratian: Distin: 1. de Pœnitent. Can. Verbum.*
i *In Ioan: Tract. 5.*
k *Distinct: 18. Quæst: 1. Art: 5, 8. & Distin. 19. Quæst: 2. artic. 5 lib. 4.*

Porrò, ut apprimè placet, quòd *Ministros dicas debere prædicando ostendere viam, & media instituta à Deo ad obtinendam remissionem peccatorum:* ita minimè in te tolerandum est, quòd *prædicationem verbi divini, quam vocas nudam, sacramentis opponis.* Quid enim sunt sacramenta? quàm appendices verbi, quæ ut, juxta Augustinum, [l] visibilia verba sunt, ita totam vim & efficaciam, à verbo Dei sumunt, *Accedit enim verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Rectè idem sanctus & eruditus pater: [m] *Quare non ait, Vos mundi propter Baptismum, quo loti estis; sed ait propter verbum, quod loquutus sum vobis? nisi quia & in aqua verbum mundat: Detrahe verbum, & quid est aqua? nisi aqua.*

l *Contr. Faust. lib: 19. cap: 16.*
m *Tract: 80. in Ioannem.*

Recipis, Smigleci probandum, quòd Christus veram & judiciariam potestatem, Apostolis concesserit, remittendi peccata: eamque in rem, producis Achillem tuum: *Sicut misit me Pater & ego mitto vos.* quibus verbis cùm nos ad angustias adactos putes, quæris, *Nonné pater Christum misit, in mundum, cum vera & judiciaria potestate?* Quæstioni tuæ, Smigleci, à nobis ut fiat satis, observandum tibi dico, particulam *Sicut*, non semper notare identitatem & parilitatem, sed aliquando, quandam similitudinem. Exemplum habes, *Ioan: 17. v: 21. Vt omnes unum sint, sicut tu pater in me & ego in te.* An tantam conjunctionem unitatis, inter membra Christi esse, quanta inter patrem, & filium intercedit, dices? proculdubiò tam absurdus non eris. Quare nec in hoc loco, particula *sicut*, præcisè, juxta τὸ ῥυτον tibi urgenda est, alioquin absurdum sequeretur. Pater enim misit filium, ut ejus mors esset λύτρον pro peccatis: at Apostoli quamvis sanguine doctrinam obsignârint, ad id muneris, nequaquam sunt missi. [n] *Num, Paulus, crucifixus est pro vobis?* Aureis literis

Locus Ioannis, *Sicut misit me*, &c. excutitur. *Ioan: 20.*

1.

Particula *Sicut*, non semper æqualitatem denotat.

n *1 Corint: 1. v: 13*

is literis notari digna verba Leonis. [o] *Quamvis preciosa sit mors sanctorum in conspectu Dei, nullius tamen insontis occisio, fuit propitiatio mundi. Accepêre justi, sed non dedêre coronas: & de illorum passionibus, nata sunt exempla patientiæ, non dona justitiæ. Solus Iesus Christus inventus est, in quo omnes mortui sunt, & resurgent in vitam æternam.* Sensum ergo genuinum, hujus loci, ex Toleto, accipe, qui, *In* [p] *his verbis*, inquit, *Sicut misit me pater &c. Significat Christus officium, ac si diceret: Vt ego pastor sum, ita mitto vos, ut sitis pastores.*

[o] *Epist: 82. ad Palæst.*

N.B.

[p] *Comment: in Ioan: cap: 20.*

2. At iterum nobis reponis: *Christum cùm daret potestatem remittendi peccata, dedisse Spiritum sanctum, cùm verò daret prædicandi facultatem minimè dedisse.* Ad hanc conjecturam supra tibi responsum est, actum itaq; non agam; Vnum dico: nunquam crediderim absq; spiritu suo, Christum ad prædicandum Apostolos, dimisisse: qui enim spiritum Christi non habet; hic non est ejus. Quocirca nullam spiritui S. Evangelici injuriam faciunt, dum constanter docent, Christum dimittere peccata, ut dominum; Ministros, ut ejus servos.

3. Tertiò urges verba, *Quorum remiseritis* &c. Ex quibus infers: *Voluit dependere remissionem peccatorum in cælo & apud Deum à remissione peccatorum in terra.* Dura sanè Smigleci verba, nec sine mica salis accipienda, creatura enim à creatore potiùs dependere debet. Non sum equidem nescius, sic loqui Chrysostomum: [q] *Cælum*, inquit, *accipit autoritatem judicandi à terra, judex sedet in terris, dominus sequitur servum.* Sed hæc verba, licèt animum afflictum erigere possunt, dextrè tamen interpretanda sunt: Maximè propria phrasis illa videtur hac in causa. [r] *Tunc vera sententia præsidentis, quando æterni sequitur sententiam judicis.* Item illa alia, [s] *Non sacerdotali judicio, sed largitate divinæ gratiæ peccator emundatur.* [t] *Scitè ad modum Pontifex Innocentius 3. Iudicium*, inquit, *Dei, veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: judicium autem Ecclesiæ, nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere, sæpè contingit, & falli: propter quod contigit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit sententia innodatus.* Quæ licet verissima sint, tamen contra nos Dilemma stringis. Vel Ministri annunciant peccata remissa, antequam sint remissa, & tunc falsè annunciant; vel postquam sunt remissa, & tunc prius peccata remissa sunt in cælis. Hoc Dilemma utroq; nos cornu feriret, si Ministri absolutè peccata dimissa annunciarent, sed cùm id faciant sub conditione fidei & pænitentiæ, annunciant peccata quibusdam dimissa, quibusdam dimittenda. Dimissa his, qui jam cre-

[q] *In Esa: Hom: 5*

[r] *Causa 11. Qu. 1. Cãn: Tūc verò Hier: ascribitur.*

[s] *De Pœn: Dist. 1. Can. Convertimini.*

[t] *Extra. C. a nobis. de sentent. excommunic.*

diderunt & pænitentiã agunt:dimittenda iis, qui credituri, & pæni-
tentiam acturi sunt. Vtrumq; ergo verè annunciant,ac ita utrumq;
cornu Dilemmatis contritum est. Deniq; dicis. *Solvere, ligare; re-
mittere,retinere; aperire,claudere cælum, sunt actus potestatis, non
prædicationis.* Ergo &c. Quasi verò Smigleci, ista potestas,potestati
prædicationis non includatur? Hoc te transuersum in errorem ra- Claves Pontificiorum.
pit. Claves enim tibi ob oculos versantur: claves, inquam,*ordinis*,
claves *Iurisdictionis*:claves *discretionis*,claves *potestatis*: claves *prin-
cipes*, claves *minus principes*. Habetis itaq; claves ordinis sine juris-
dictione; claves jurisdictionis sine ordine; claves discretionis sine
potestate; claves potestatis, sine discretione. Clavem prædicatio- Claves prædicationis.
nis sublatam cupitis,de qua tamen ita honorrificè Patres. Tertulli-
anus: [u] *Quam clavem*, inquit, *habebant legisdoctores? nisi interpreta-* u *Lib. 4. contr. Martion.*
tionem legis? Ambrosius: [x] *Remittuntur peccata per Dei verbum,cujus* x *De Cain & Abel lib: 2.*
Levites,interpres est. [y] (Chrysostom⁹:*Clavis est scientia scripturarum,* y *Hom: 44 operis imperfecti.*
per quam aperitur janua veritatis. Augustinus: [z] *Cor clausum habent,* z *Tract: 30. in Ioan.*
quia clavem fidei non habent. Maximus apud eundem: [a] *Clavis dicen-* a *Serm: 27. de S.*
da est quâ ad fidem pectorum dura reserantur.

Sed ut Evangelicos, cum Pharisæis conferas, ex persona illo-
rum,tibi ipsi objicis: *Nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus.*
Quid tu ad hoc? *Ita*, inquis, *cogitârunt in cordibus suis Pharisæi illi.*
Pharisæi, Smigleci,in hoc non errârunt, quòd putarint solum De-
um remittere peccata posse. Non enim ignorare poterant, illa Dei
verba: *Ego ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas:* Sed in eo erra- *Esa: 43.*
bant, quòd Christum purum putum hominem opinati fuerant.
Observavit hoc Hilarius: *Movet*, inquit,*scribas remissum ab homine* *In Cap: 8. Mat.*
*peccatum. Hominem enim tantùm in Iesu Christo intuebantur, & remis-
sum ab eo, quod lex laxare non poterat.* His omissis à turba argumen-
tum petis, *quæ glorificaverit Deum, qui talem potestatem dederit ho-
minibus.* Turbidum sanè à turba Argumentum, illa enim turba,
cùm putaret sanctum hominem tantùm esse Christum, à quo pa-
raliticum curatum viderat, implicitâ & confusâ (ut vos dicitis) fi-
de, glorificabat Deum, quòd talem potestatem, nimirum paraliti-
cos,& cæteros ægrotos,curandi dedisset hominibus. At quar-
to urges illa verba. *Accipite Spiritũ S.* Hinc consectariũ extruis. *Spi-
ritui S. qui etiam miracula facit, Nihil est impossibile. Sacerdotes acce-
perunt Spiritum S. Ergo ejus virtute verè & propriè remittunt pecca-
ta.* Latè tu quidem id sumis, Smigleci, & donum Spiritus S. ad ea
extendis, quæ in mortales cadere nequeunt; Hac enim ratione e-
go concluderem: Spiritus S. potest nos ab omni peccato immunes

reddere, & in Angelos ferè transformare. Eum accepêre fideles. Ergo.&c.Absurdum;Agit quidem Spiritus S. in fideles, sed agit ad mensuram,& pro proportione huic vitæ competenti;Hic inchoat, in vita futura perfecturus: Agit & per Ministros verbi sui, non ut propriè à peccatis absolvant,sed agit, objurgationes,correctiones, consolationes ex verbo Dei petitas, & à Ministris forinsecùs adhibitas, cordibus infigendo,ut homines peccatis mortui, justitiæ vivere incipiant.

Evangelici cum Novatianis injustè collati.

Non habebas satis,quòd nos cũ Pharisæis comparasti, nisi nos cum Novatianis contulisses. Nullo quidem jure, sed magnâ injuriâ,id facis,Smigleci,Nam Novatiana hæresis, referente Alphonso de Castro, [b] *peccantibus omnem pænitentiæ virtutem tollit:*teste verò Vega: [c] *Omne peccatum legale,post Baptismum commißum,irremissibile eße censet*, ac ita omnem absolutionem,quæ fiat ab Ecclesia, tollit. Evangelici verò nemini, seriam pænitentiam agenti, januam misericordiæ Dei claudunt,& *absolutionis ritum*,fatente etiã [d] Bellarmino, agnoscunt.Rectè itaque hisce locis, quæ produxisti, refellit Novatianos Ambrosius. At dextrâ interpretatione opus habent verba Chrysostomi dicẽtis, *sacerdotibus commißũ eße animæ lepras, non purgatas probare & ostendere, sed prorsus purgare.* Verè enim & propriè loquendo: ut sacerdotes Aaroni succedentes, non ipsi per se, lepram purgârunt, sed purgatam & sublatam à Deo, in cœtu declarârunt:Sic Sacerdotes Novi Testamenti,non quidem verè, & propriè, plenariâ & judiciariâ potestate, peccata remittunt; sed à Deo, sub conditione fidei, & seriæ pænitentiæ, remissa annunciant. Vide quomodo hæc emolliat Hieronymus.[e] *Quomodo ergo inquit,in lege leprosum sacerdos mundum vel immundum facit,discernendo qui mundus, quique immundus sit, non faciendo mundos vel immundos:sic & hîc alligat,vel solvit Episcopus.*

b *AdversusHær. Tit.Pœnitentia.*
c *Lib.13.de Iust. cap:2. pag: 286.*
d *De pœnit:lib:1 Cap: 8. Vt igitur.*
e *In cap:16.Mat*

Publica exomologesis.

Quæ verò ex Hieronymo affers,ea ad auricularem confessionem minimè spectant, sed ad publicam exomologesin, in qua, pro ratione & varietate delictorum, satisfactiones Ecclesiasticæ lapsis ab Episcopis injungebantur; de qua Origenes: [f] *Qui lapsus est*, inquit, *procedit in medium & exomologesin facit.* Zozomenus [g] *Rei ad terram sese pronos objiciunt, cum planctu, & lamentatione, Episcopus ex adverso occurrit, cum lachrymis, & ipse ad pavimentum, lamentando provolvitur, & universa Ecclesiæ multitudo, lachrymis suffunditur.* Quæ cùm ita se habeant, Smigleci, iniquè à Ministris Evangelicis exigis, ut fateantur, se non esse legitimos Ministros, eo nomine, quòd potestate remittendi peccata careant.Christo quidem se ministri

f *In Psal:37.*
g *Lib: 2.cap:16. Hist:*

nistri æquare nolunt, quemadmodum vos facitis, jubentes ut vestri Catholici, hanc potestatem in vobis adorent, *& ex vestris manibus peccatorum remissionem, & vitam æternam læti accipiant*: verùm tamen habent eam potestatem, quæ in servos Dei cadere possit, quam dicimus duplicem esse. Institutionis & Correctonis; utraque verò ex verbo Dei. Instituimus enim, in fide & vita homines, ex verbo Dei: ubi verò aliquis contra fidem, vel bonos mores, peccaverit, eundem ex verbo Dei, corrigimus; qui, ni se corrigi patiatur, vigore disciplinæ Ecclesiasticæ, Sathanæ traditur: porrò si specimen emendatæ vitæ dederit, in gremium Ecclesiæ, quæ mater est, non noverca, iterum recipitur. Sequimur hac in parte consilium Christi. [h] *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe ipsum in te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Sequimur praxim Apostolicæ Ecclesiæ, ita enim Paulus: [i] *Tradatur hujusmodi homo Sathanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die domini*. Sequimur doctrinam veterum. Ita enim Cyrillus Alexandrinus, [k] *Certè*, inquit, *solius est Dei veri, ut possit à peccatis hominem solvere. Quâ igitur ratione divinæ naturæ dignitatẽ, ac potestatem discipulis suis salvator largitus est? Duobus modis. Primùm Baptismo: deinde Pænitentiâ. Nam aut credentes, & vitæ sanctimoniâ probatos homines, ad Baptismum inducunt: aut Ecclesiæ filiis peccantibus quidem increpant, pænitentibus autem indulgent. Sicut Paulus olim fornicantem apud Corinthios in perniciem carnis tradebat, ut spiritus ejus salvaretur, recepitque rursus, ne majore submergeretur dolore.*

Verba Smiglecii fol: 26.

Potestas Ministrorum duplex.

Disciplina Ecclesiastica.

h *Mat: 18. v: 15, 16, 17.*

i *1. Cor: 5. v: 5.*

k *In Ioh: lib: 12. cap: 26.*

Illud potiùs metuendum tibi est, Smigleci, ne maxima pars vestrorum Sacerdotum, hisce clavibus, quæ vobis tantos spiritus pariunt ob imperitiam, destituta videatur, attestante etiam Lombardo. *Postquam*, inquit, *scientiam discernendi, omnes sacerdotes non habent, quin eorum plures, prorsus rudes sunt, atque imperiti, & nihil norûnt*. Facile conjicio, quid vobis maxime doleat, nimirum quòd peccata, quæ in apricum non veniunt, soli Deo confitenda, doceamus. At non ex nostro cerebro doctrina hæc enata, sequimur enim exemplum Davidis, qui ita de se cecinit: [l] *Delictum meum cognitum feci tibi* &c. Item. [m] *Tibi soli peccavi & malum coram te feci.* Sequimur consilium Iohannis ita scribentis? [n] *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus Deus, ut remittat nobis.* Sequimur praxim primitivæ Ecclesiæ, quæ soli Deo talia peccata confitenda, docuit. Ita

Lib: 4. Senten. Dist: 19.

Auricularis confessio refutatur.

l *Psal: 31. v: 5.*

m *Psal: 51. v: 5.*

n *1. Ioh: 1. v: 9.*

o Homil: 1. de Confess: & Pænitent.

p Confess: lib: 10. cap: 3.

cuit. Ita enim Chrysostomus: o *Neque, inquit, necessarium est præsentibus testibus confiteri, cogitatione fiat delictorum exquisitio, absque teste sit hoc judicium, solus te Deus confitentem audiat.* Nec tibi ignota puto, verba Augustini ita scribentis: p *Quid mihi est cum hominibus? ut audiant confessiones meas, quasi sanaturi sint languores meos; curiosum genus, ad investigandam vitam alienam, desidiosum, ad corrigendam suam; & undè sciunt, num ego illis vera dicam, cùm à me ipso, de me ipso audiunt? Nemo autem novit quæ sunt in homine, nisi Deus & spiritus ejus.*

Tu ergo ipse es injurius in Deum, quòd ad eum, postulandæ veniæ causa, recurrendum negas, quasi major sit hac in parte, autoritas servi, quàm domini.

Concludo itaque Smigleci, te rationibus tuis, Ministros Evangelicos potestate remittendi peccata, destitutos esse, minimè probavisse.

Ad Demonstrationem quartam, & Caput octavum, responsio.

Ministri legitimi sunt sacerdotes offerentes, Deo Sacrificium.
Ministri Evangelici non offerunt Deo sacrificium Novi Testamenti. Ergo;
Non sunt Ministri legitimi Novi Testamenti.

Sacrificium duplex, Ilasticum & Eucharisticum.

Ne ambiguitas terminorum, Smigleci, rudioribus imponat, distinguendum est sacrificium Novi Testamenti, quod duplex est, Ilasticum & Eucharisticum. Ad Majorem itaque respondeo. Si sacrificium propitiatorium, verum, reale, externum, ac propriè dictum intelligis, Major tua falsa; Præter enim Christum, in nullum cadere potest, ut tale sacrificium, Deo offerre possit: Sin verò Eucharistica sacrificia intelligis, Major quidem tuæ demonstrationis concedi debet, sed minor constanter neganda est: Offerunt enim Ministri Evangelici Eucharistica sacrificia Deo, quod nec tu ipse negaveris. Tota igitur controversia inter nos versatur, de propitiatorio sacrificio Externo, verè, & propriè dicto. Tale sacrificium potestatem offerendi, Christum Ministris contulisse, tu asseris, nos verò pernegamus. Assertionem tuam quomodo probes, age videamus.

Necessitas sacrificii.

Primò itaque necessitatem sacrificii ostensurus, dicis: *Religionem &*

nem & sacrificium, ita inter se conjuncta esse, ut altero sublato, alterum tolli necesse sit. Ita est, Smigleci. Sed quid inde sequitur? Religioni annexum sacrificium, Ergo externum, ergo propitiatorium? Id verò minimè. Vt verò tibi directè respondeã, Concedo religioni Novi Testamẽti annexum esse sacrificium. Propitiatorium [q] unicũ est, quod est passio, & mors Christi, in cruce peractum. Eucharistica plura, quæ supra recensui. Illud verò causam tuam jugulat, quòd ex Paulo affers: *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat.* Si enim vetus sacerdotium, in unicum Christianæ Ecclesiæ Sacerdotem Christum, translatum est: Sequitur in vos translatum non esse; ratione dico veri propitiatorii Sacrificii, cujus omnia externa sacrificia, typi, & umbra fuêre.

q *Heb: 10. ꝟ: 14.*

Porrò ut ambabus ulnis amplectimur, *quòd sacrificium novæ legis, omnia sacrificia superans, sacrificium nempè corporis & sanguinis Christi, unum esse dicas*: ita rejiciendum judicamus, quòd scribis, *illud in altari, religionis causâ, semper offerri posse.* Implicant enim ista contradictionem, *Semel offerri*, &, *semper offerri.* Semel tantùm in cruce hoc sacrificium oblatum fuisse, attestatur Spiritus Iesu, qui fuit in Paulo, [r] *Christus non habet necessitatem, quotidie, primò pro suis, deinde pro populi, delictis, hostias offerre, hoc enim fecit SEMEL, se offerendo.* Item. [s] *Nunc autem semel, in consummatione seculorum, per suam hostiam apparuit.* Item. [t] *Christus SEMEL oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata.* Item. [u] *Sanctificati sumus, per oblationem corporis semel.* Idem Spiritus Iesu negat, Christum sæpè offerri: [x] *Neque ut sæpè offerat semetipsum.* Spiritus verò Iesuiticus, ex diametro, cum Spiritu Iesu pugnans, affirmat, non tantùm sæpè, sed etiam quotidiè, Christum offerri posse. Non me latet, vos ista, per distinctionem, *cruentè & incruentè*, conciliare velle, sed cùm posterius membrum hujus distinctionis ex scripturâ probari non possit, omni nò, ut futilis, rejicienda est.

Semel oblatum sacrificium propitiatorium, Novi Testamenti.
r *Heb: 7. ꝟ: 27.*
s *item Cap: 9. ꝟ: 25.*
t *ꝟ: 28.*
u *Heb: 10. ꝟ: 10.*
x *Heb: 9. ꝟ: 25.*

Sed ne testimonio Apostolorum, qui primi certè, post Christum, hoc sacrificium obtulissent, destitutus videaris, profers verba Andreæ Apostoli. *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidiè, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari, cujus carnem, posteaquàm omnis populus credentium manducaverit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat, & vivus.* Si ista, ex Actis Apostolorum, quæ D. Lucas conscripsit, deprompsisses, magnum pondus haberent: Sed si sumpsisti, aut ex Actis Andreæ, quæ, (judice Cano, locorum Theologicorum lib. 11. cap. 6.) rejicienda sunt, aut ex passione ejusdem, cujus Eusebius, Hieronymus,

Verba S. Andreæ afficta.

ronymus, Gennadius, non meminerunt;aut ex Abdia, tot seculis abdito, quem Volfangus Sasius, nuper ex latebris extraxit, apud nos nullam fidem merentur. Addo: Hæc verba, quæ profers, etiamsi D. Andreæ essent, ex illis tamen privatam Missam, probare non posses,quæ iis ipsis verbis,everti potest. Si enim, *iste agnus ab omni credentium populo manducabatur:* fuit itaq; communio, non solius sacerdotis, quod fit in Missa, sed totius credentis populi, in participatione sacræCænæ; Præterea,si *manducatus agnus ab omnibus, integer & vivus manet*, sequitur illum spiritualiter, ore fidei manducari: quæ enim ore corporis manducantur, ea integra non manent,sed in ventrem abeunt,dicente [y] Christo:&c.quod de corpore ipsius, horrendum cogitatu.

Verba S. Andreæ Missam evertunt.

Spiritualem mãducationem adstruunt.

y Mat: 15. v:11.

Vt igitur probare non potes,quòdApostoli Christum,sub speciebus panis,& vini obtulerunt,ita evincere nunquam poteris,Ministros talem potestatem à Christo accepisse. Christi quidem nomine, verbis & potestate, Ministri Sacramenta administrant; sed Christum, nulla ratione, sub speciebus, offerre possunt; alioquin digniores essent Christo,quia in omni sacrificio,sacerdos est dignior victimâ,quod absurdum.

Absurdũ, ex sententia Pontificiorum.

His ita positis,jam Ministros Evangelicos adoriris, inquiens:

Ministros suos ornavit ea potestate Deus, [z] *ut ab ortu solis, usq; ad occasum in omni loco, sacrificent, & offerant nomini ejus, oblationem mundam.*

z Mal:1. v: 12.

Hanc oblationem non exhibent Deo Evangelici,sed nostri duntaxat sacerdotes: Sequitur non illos, sed hos, legitimos Christi Ministros esse.

Ad Majorem respondeo: Ministros esse ornatos hac potestate,sed non solos. Etiam enim Laici tenentur hoc sacrificii, Deo offerre.[a] *Volo*, inquit,Apostol⁹,*viros orare in omni loco,attollentes puras manus, sine ira & disceptatione.* Minor negatur. Quod enim sacrificium Deus per Malachiam prædixit, illud Ministri,cum grege sibi commisso,Deo offerunt. De hoc verò controvertitur, sitné Ilasticum? an Eucharisticum? Tu affirmas esse Ilasticum. Nos dicimus esse Eucharisticum,sequuti sententiam patrum: Ita enim Iræneus,[b] *In omni loco*, inquit, *offertur incensum nomini meo, & sacrificiũ purum; incensum autem Iohannes in Apocalypsi orationes ait sanctorum.* Assentitur Iustinus. [c] *Orationes,& gratiarum actiones, sunt solum perfectum & acceptum Deo sacrificium; quod solum Christiani offerre solent.* Nec abnuit Tertullianus. [d] *Sacrificamus*, inquit, *pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & quomodo præcepit Deus, purâ prece.* Item. [e] *In omni loco sacrificium nomini meo offertur*, & *sacrificium*

a 1 Tim:2. v:8.

Locus Malachiæ explicatur.

b Lib: 4. cont. Hær: cap: 35.

c Dialog: cum Tryphone.

d Ad Scapulam

e Adv: Marcio, lib:3. cap.22.

crificium mundum, gloriæ ſcilicet relatio, & benedictio & laus & hymni. Eadem mens fuit [f] Hieronymi & [g] Auguſtini.

f *Hier. in Mal. cap: 1. Aug.* g *Contra adverſarium legis & Prophetarum, lib: 1. cap: 20.*

Quid verò tu Smigleci? *Vertunt ſe,* inquis, *adverſarii & dicunt, nullum eſſe in nova lege ſacrificium, niſi quod in cruce oblatum eſt.* Quod de propitiatorio ſacrificio dicunt, verè dicunt, & multis teſtimoniis ſcripturæ ſacræ muniunt, quæ, vertatis vos licèt, ut collubri tortuoſi, in omnes formas, eludere tamen nunquam poteritis. At inquis, *quaſi verò & nos aliud & diverſum ſacrificium inducamus?* Aliud proculdubio, & diverſum inducitis: Verum enim ſacrificium propitiatorium peractum eſt ſemel: veſtrum quotidie. Verum ſacrificium, in cruce tantùm ſuper Golgota oblatum: veſtrum in infinitis locis. Verum ſacrificium habebat ſacerdotem Chriſtum, qui fuit, & victima, impollutum, innocentem, qui non habebat neceſſitatem offerendi pro ſeipſo: veſtrum habet ſacerdotes, peccatis coopertos. Veri ſacrificii victima, nullis alienis ſpeciebus contecta fuit, ſed viſibiliter, & cruentè oblata eſt: veſtri ſacrificii victimam, ſpeciebus panis, & vini, contectam, incruentè offerri vultis. Verum ſacrificium fuit perfectum, infiniti valoris, & æternæ efficatiæ, ideoque repeti non poteſt: veſtrum ſacrificium, quia quotidie repetitur, imperfectum eſt: Repetitio enim imperfectionis argumentum. In vero ſacrificio, Chriſtus verè oblatus fuit, ſuper crucem: in veſtro ſacrificio, quod vos, ipſi ſenſus, & circa aſſervationem Euchariſtiæ, infiniti caſus, docent, panis & vinum aquâ miſtum, offertur, vel potiùs à Sacerdote conſumitur. Aliud ergo numero, & ſubjecto Sacrificium, in locum unici illius propitiatorii Sacrificii, ſubſtituitis. Mones, Smigleci, *duo notanda eſſe de ſacrificio Novi Teſtamenti: primò, quòd unicum ſit: ſecundò, quòd nihilominus in omni loco offerri debeat.* Confundis, Smigleci, ſacrificia, Ilaſticum nempe, cum Euchariſticis. Ilaſticum enim cùm ſit unicum, unico loco verè offerri neceſſe fuit, nempè in ligno crucis, cujus tamen memoria pluribus in locis celebrari poteſt. Euchariſtica, ut ſunt plùra, ita in omni loco, & ab omnibus offerri poſſunt, dicente Paulo: *Velim viros precari in quovis loco, attollentes puras manus.* De hiſce ſacrificiis loquitur Malachias, videlicet, quòd poſt adventum Meſſiæ, omnes gentes prædicatione Evangelii ad Deum converſæ, ejus nomen celebraturæ, & vitulos labiorum oblaturæ, forent.

Pontificii aliud prorſus ſacrificium propitiatoriū induxerunt.

Collatio inter Chriſti ſacrificium & Miſſam.

Ita exponit Euſebius Demonſt: Evang: lib:1.c.6.

Inſtas. *Oblatio munda non eſt alia, quàm oblatio corporis, & ſanguinis Domini: tum quia nulla alia eſt oblatio Novi Teſtamenti: tũ quia nulla alia eſt oblatio munda.* Concedo, ſolam, & unicam oblationem corporis & ſanguinis Chriſti in cruce, eſſe ſolum, & unicum ſacrificium

InſtantiaSmiglecii.

Ejus ſolutio.

ficium propitiatorium Novi Testamenti, neque nego hanc esse solam oblationem mundam: Est enim per se & primariò munda, nosque, & nostra Eucharistica sacrificia, emundans, teste Apostolo: [h] *Quantò magis*, inquit, *sanguis Christi emundabit conscientias nostras, ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.* Non desunt tamen alia Eucharistica sacrificia, quæ, per illud propitiatorium, emundata, Deo placeant. Ea tu impugnas, hac ratione:

h Heb. 9. ℣: 13.

Objectio Smiglecii.

i Prov: 20. ℣: 9.

Nemo potest dicere, mundum est cor meum, quia nemo absque peccato. Ergo sacrificium cordis non potest esse oblatio munda. Respondeo. Nullius hominis cor, per se posse esse, oblationem mundam, cùm quisque sit peccatis contaminatus. Potest tamen, cor hominis fidelis, oblatum Deo, esse oblatio munda, emundatum per fidem sanguine filii Dei. Ita enim Petrus: [k] *Fide*, inquit, *purificans corda ipsorum.* & D. Ioannes: [l] *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Hinc & David: [m] *Asperges me Hyssopo, & mundabor.* &c. [n] *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.*

k Act: 15. ℣: 9.
l 1. Ioan: 1. ℣: 7.
m Psal: 50. ℣: 8.
n ℣: 28.

Distinctio Pontificiorum Cruentè & Incruentè

Iterum nobis eandem crambem reponis: *Duo notanda esse in sacrificio Novi Testamenti, nimirum, & quod sit unum, & quod in omni loco offerri debeat:* quæ certè, ut supra demonstratum est, manifestam implicant contradictionem. Hinc tamen elicere vis distinctionem. *Cruentè*, inquis, *obtulit se Christus semel: Incruentè offertur quotidie in pluribus locis.* Posterius membrum, cùm ex Scriptura sacra nunquam probare possitis, distinctionem vestram minimè admittimus: ex qua tamen contra vos sic argumentamur:

Hæc distinctio Missam evertit.

Si Missa est sacrificium, tum aut est cruentum, aut incruentum. Si cruentum, verè Christus sanguinem fundit, & occiditur: quod impossibile, [o] *Mors enim Christo ampliùs non dominatur:* Si est, ut vocatis, Incruentum. Non potest itaque esse propitiatorium; quia, teste Paulo, [p] *Sine effusione sanguinis non fit remissio.*

o Rom: 9. ℣: 9.

p Heb: 9. ℣: 22.

Locus Heb 8. vindicatur.

In loco Malachiæ, cùm te nihil præsidii, habere videres, adducis alium *ex Heb: 8.* ℣: 1. Verùm eodem successu. Quid enim ille locus evincit? Evincit Christum habere debuisse, quod patri offerret, quemadmodum Pontifices veteris legis, habebant dona, & victimas, quæ Deo offerebant. Id verò nos sanctè confitemur. Habuit enim corpus, ex beatissima virgine sumptum, quod semel in cruce, patri obtulit, quo Sacrificio oblato, & [q] *per id purgatione peccatorum factâ, consedit ad dexteram Dei.* At videris urgere vocem præsentis temporis: *Vt OFFERAT, ergo*, inquis, *& nunc offert, nec officio defunctus est.* Miror, Smigleci, tam versatile ingenium tuum. Vbi tibi videtur, à vulgata recedis, Græcoque textui, videri vis innixus. Nam

q Heb: 1. ℣: 3.

xus. Nam vulgata habet: *Sanctorum minister:* tu verò, Bezam sequutus, dicis, *sanctuarii illius cælestis, publicus minister:* Vbi verò nos vulgata versione premi posse putas, illi adhærescis, urgens verba: *Necesse est & hunc habere, quod offerat*, cùm in Græco sit, *quod offerret*. Quæ enim vis sit vocis προσενέγκῃ, ad Grammaticos, te virum doctissimum, amandatum nolo. Vis itaque tui Argumenti in ventos abiit, & cum tua interpretatione evanescit, quod de cruenta, & incruenta oblatione de tuo infers.

Instas. *Non Christus in cælo versatur tanquam defunctus officio sacerdotali, sed tanquam publicus minister, officium sacerdotale gerens.* Recto intellectu, hoc tibi concedi potest. Sed tibi, tam docto, alioquin Theologo, considerandum fuerat, officii Sacerdotalis Christi, duas esse præcipuas partes: quarum prima est; Sui ipsius oblatio: altera, pro peccato deprecatio. Prima officii parte defunctus est semel in cruce se offerendo. Altera etiam nunc fungitur, [r] *apparens conspectui Dei pro nobis.* Quæ verò tu comminisceris, ea minimè cohærent. Aliquando enim vis *munere, Christum fungi in cælis, & habere ibi, quod semper offerat: aliquando vis, ut in cælo visibiliter & incruentè per sacedotes, offerat.* Sic faciunt, qui nihil certi penstique habent, ubi tutò conquiescere queant. Cælum & terra misceri nequeunt: nec corpus finitum, circumscriptum, suisque dimensionibus constans, uno eodemque tempore, in cælo, & in terra, simul esse, & offerri potest.

Partes, officii sacerdotalis, in Christo.

r Heb: 9. v: 24.

Porrò alteram Sacerdotalis Christi officii partem, quam fortasse, in sanctos translatam mavis, oppugnas hac ratione: *Sacerdos non instituitur, propter preces, sed propter vera sacrificia. Ergo &c.* Concedo Smigleci, propter solas preces sacerdotem Christum institutum non esse. Quæ enim sint, aliæ sacerdotalis officii ipsius partes, suprà docui.

Subjungis. *Preces etiam non sacerdotes, offerre possunt, sacrificia soli sacerdotes.* Priùs membrum, posterius convellit; si enim preces sunt sacrificia, preces verò etiam Laici offerre possunt; Sacrificia itaque non soli Sacerdotes offerunt. *Interpellare*, inquis, *est munus sacerdotis, sed non sine sacrificio.* Certè nec sine sacrificio interpellat Christus: imo non more humano, genuflexione interpellat, sed vi, & efficatiâ, ejusdem cruenti sacrificii. Sacrificium enim in cruce peractum, ut rectè monet [s] Cyprianus, *ejusdem est efficatiæ nunc, cujus in illa hora fuit, quâ de saucio latere, sanguis & unda profluxerunt.*

s Serm: de Baptis.

Hac itaque, ex loco Pauli probatione dejectus, ad sacrificium secundùm

Locus de sacerdotio secundùm ordinem Melchisedech.

secundùm ritum Melchisedecianum confugis, quod causam tuam minimè juvat. Nam, ut breviter & paucis, tibi respondeam. Melchisedech non fuit typus Christi, respectu alicujus sacrificii, sed respectu sui ipsius, & quarundam circumstantiarum personæ suæ, quæ perspicuè declarantur [t] à Paulo, quorum summa hæc est 1. Melchisedech fuit rex, & Sacerdos: Christus etiam rex, & Sacerdos. 2. Melchisedech rex pacis, & justus: Christus etiam rex pacis, & iustus. 3. Melchisedech sine patre, & matre; quia Scriptura parentum ipsius, ut figura figurato respondeat, nullam mentionem facit. Christus itidem sine patre respectu humanitatis, sine matre, quà Deus. 4. Melchisedech sine successore; quis enim illi successerit in sacerdotio, scriptura silentio involvit: Christus etiam, cùm mori nõ possit, sine successore, perpetuum habet sacerdotium. 5. Melchisedech, eò quòd major esset, benedixit Abrahamo; ita Christus, virtute sacerdotii, benedicit omnibus, qui habent fidem Abrahami. De genere sacrificii Melchisedeciani, Apostolus neγρù quidem, de quo tu tamen multa, sed frustrà. *Christus se, inquis, obtulit in cruce cruentè, sed non ritu Melchisedeciano, nunquam enim cruentè sacrificavit Melchisedech, sed tantùm panē, & vinum obtulit, cùm esset sacerdos Dei altissimi. Necesse igitur est, ut concedatur sacerdotium Melchisedecianum, quod sit legis novæ proprium.* Quo ritu sacrificaverit Melchisedech, cruẽtené, an incruentè? scriptura tacet. Restat igitur, monente Augustino, [u] ut *homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus manere voluit occultum.*

t *Heb: 7.*

In quibus Melchisedech fuit typus Christi.

u *De aßumpt.*

Melchisedech non obtulit panem & vinũ Deo.

Vrges verba. *Melchisedech obtulit panem & vinum cùm esset sacerdos Dei altissimi.* Sed erras: non enim obtulit, sed protulit, Melchisedech panem & vinum. Ita legit vestra Vulgata, ita legunt, Cyprianus *Serm: de Cæna: & Epist: 63.* Augustinus *lib. 1. cap: 20.* contra adversarium legis & prophetarum. Pagninus & alii. Chrysostomus verò *Hom: 36.* in Gen: legit, *attulit.* Cui verò Melchisedech panem & vinum protulit? Non Deo, sed Abrahamo, reficere volens ejus exercitum, qui à cæde regum revertebatur; testibus, omni exceptione, majoribus, Iosepho Flavio *lib. 1. Antiquitatum, cap.* 18. Tertulliano, *lib. cont. Iudæ:* Ambrosio *lib. 4. cap. 3.* de Sacramentis. Augustino *Quæst.* 109. Ex utroq; mixtim. Epiphanio *Hære: 55.* Chrysostomo *Hom. 6. in Gen:* Basilio, *in Psal: 109.* Quorum testimonia, ne liber in ingentem excrescat molem, verbotim non recito, sacerdotem verò Melchisedecum memorat Moses, [x] eò quòd benedixisset Abrahamo, & decimas ab illo accepisset. Vt enim rex, Xenia Abrahamo dedit; Vt sacerdos altissimi, Abrahamo benedixit.

x *Gen: 14. v. 18.*

Sed tu

Sed tu nos ad absurda adigere vis; quorum primum, *quod Christus, sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, nusquam sacrificaverit ritu Melchisedeciano*. Alterum, *quòd lex nova sit sine Sacrificio*. Neutrum sequitur. Qui enim ritus fuerit sacrificandi Melchisedeco, ex scripturis docere non potes. Imaginaris tu quidem ipsum sacrificasse panem & vinum, Christum verò offerri sub speciebus panis & vini. Sed hac in re, principium petis, hoc enim ipsum est, de quo maximè controvertitur: nec absurdum evitabis, si panem & vinum, quæ protulit Abrahamo Melchisedech, figuram esse dixeris accidentium panis & vini, sub quibus corpus Christi delitescere vultis. Figura enim, non figuræ figura, sed, figurati figura.

Absurda quæ nobis Smiglecius affingit, nulla.

Ex his etiam, quæ disputas, nō sequitur, legem novam esse sine sacrificio: Collatio enim, quæ à Paulo, inter Christum & Melchisedech, instituitur, nō est petita à genere sacrificiorum, sed à circumstantiis personarum, in officio sacerdotali constitutarum. Quod verò sit novæ legis proprium propitiatorium sacrificium, multis in locis Paulus certò & liquidò scribit, de vestro ne per somnium quidem cogitavit.

At non prætermittendum videtur tuum Sophisma. *Sacrificium*, inquis, *in cruce peractum, non est legis novæ proprium, sed commune omnium temporum & hominum, cùm Christus pro omnibus hominibus, omnium temporum, sacrificaverit seipsum in cruce; quare si non sit aliud Melchisedech sacrificiū, Lex nova erit sine sacrificio*. Simplicissimè respondeo. Christi sacrificium, in cruce peractum, esse communissimum omnibus, omnium temporum, hominibus, ratione valoris, & efficatiæ: per illud enim, sive per agendum, sive post peractum, omnes salvati sunt, quotquot Christum, verâ fide, amplexi sunt. [y] *Ab origine mundi agnus occisus*, inquit Iohannes. At ratione temporis à Deo præfiniti, quo Christus, actu ipso, in cruce, pænam peccatis nostris debitam luit, hoc sacrificium est verè proprium novi Testamenti, quod Christus tunc sangnine suo, obsignavit. Retorqueo itaq; in te Sophisma tuum. Si vestrum sacrificium valet pro vivis & mortuis, & si se Christus, ritu Melchisedeciano in cæna, sub speciebus panis, & vini obtulit, obtulit se ergo tàm pro vivis Apostolis, quàm pro mortuis, & in limbo detentis Patriarchis: Si se obtulit pro Patriarchis, vestrum itaq; Melchisedecianum sacrificium utriq; Testamento erit commune. At posterius, te judice, absurdum: Ergo & prius, ex quo deducitur. Præterea, si Melchisedech obtulit panem & vinum, Aaronici quoq; sacerdotes [z] *obtulerunt panem & vinum:* Sequitur genera sacrificiorum, inter se coincidisse, ac ita communia

Sophisma Smiglecii.

Ejus solutio.

Quo respectu mors Christi sacrificium cōmunissimum.

y *Apoc: 13. v. 8.*

Retorquetur 1. Sophisma in Adversarium.

1.

2.

z *Num: 28. v. 7.*

3. Limbus corruit.

munia fuisse. Addo. Si mors Christi pro omnibus, omnium ætatum, hominibus, sacrificium fuit: Erroneè igitur asseritis Patres in limbo, ad resurrectionem Christi, detentos fuisse. Salvati enim erant vi, & efficatiâ mortis Christi, credentes futuram, quam nos credimus factam. Ita enim nomine omnium Esaias:[a] *Livore ejus sanati sumus*. Adjicit calculum suum Petrus:[b] *Credimus per gratiam Domini Iesu Christi nos salvari, quemadmodum, & illi*, scilicet patres; quem locum Augustinus urget contra Pelagianos: *Quantælibet*, inquit, *virtutis fuiße antiquos prædices justos, non eos salvos feci: Nisi fides mediatoris, qui in remissionem peccatorum, sanguinem fudit.*

a *Esa.53. v:5.*
b *Act.15. v.11.*
Contr. 2. literi Pelag: lib:10, cap: 21.

Vides, Smigleci, quàm malè, inter se, vestra dogmata cohæreant, quod dextrâ ædificatum vultis, sinistrâ evertitis.

Vt verò fortius, tuos adversarios, premas, ex persona illorum, tibi ipsi objicis: *Ajunt nusquam legi in scripturis, Christum, aut Apostolos, tale sacrificium, obtulisse.* Quod tui adversarii ajunt, verè & constanter, ajunt. Doce contrarium, si potes, Smigleci; *Dico*, inquis, *Christum dominum primum hujus sacrificii autorem esse, & in ultima cæna primum obtulisse.* Dicis, quidem, sed non probas, Smigleci, Christus enim in ultima cæna, non seipsum obtulit, sed memoriam realis sacrificii, jam jamq; peragendi, instituit. Ita enim inquit,[c] *Hoc facite in mei memoriam.* Et Paulus,[d] *Quotiescunq; manducaveritis panem hunc, & biberitis poculum hoc, mortem Domini annunciabitis, donec venerit.* Proinde rectè Eusebius:[e] *Christus nobis*, inquit, *pro sacrificio, memoriam reliquit, quam perpetuò Deo offeramus.* Sacramentum ergo, non sacrificium Christus tum instituit, inter quæ, magna sanè differentia. In Sacramento enim, Deus nobis, bona sua confert: in sacrificio verò, nos Deo aliquid offerimus. Verba Christi apud Lucam de corpore prolata. *Quod pro vobis datur*: apud Paulum verò; *Quod pro vobis frangitur*, nihil tibi præsidii afferunt. Vulgata enim vestra in futuro habet; *tradetur, fundetur*, &c. Græcum textum si urgere velis: Respondebo, in his verbis, esse enallagē temporis; præsensq;, pro futuro, poni; quia Christus de re, jam jamq; futura, loquebatur, quæ figura in scripturis obvia, & familiaris.[f] *Ecce rex tuus venit tibi.*[g] *Ego pono animam pro ovibus meis.*

Christus in Cæna non obtulit.
c *Luc.22.v:19.* N.B.
d *2 Corin: 11. v: 26.*
e *Lib.1.Demon.*
Differentia inter Sacramentũ & Sacrificium.
f *Zach.9. v: 9.*
g *Ioan.10. v:15.*

Assentiri verò tibi, in eo non possum, quòd apud Paulum, vox *frangitur*, idem significet, quod *datur*, quemadmodum *Esaiæ* 58. *Frange esurienti panem tuum.* Phrasis enim Hæbrea istam significationem habet: ubi panis mentio fit. *Exod.12. Os ejus non frangetis.* si quis exponat, non dabitis, ridiculus esset. Præterea, si *frangere*, ubi agitur de Sacramento, significat dare, erit tauthologia in verbis Pauli:

Vox *Frangitur*, quid significet.

Pauli: *Accepit panem, gratiis actis, fregit, & dedit discipulis*, id est, te interprete, *dedit dedit discipulis*, quòd absurdum. In eorum ergò sententiam eo, qui dicunt, vocabulo *frangitur*, designari mortis genus; quoniam Domini corpus, gravissimis crutiatibus, laceratum, contusum, fractum deniq; fuit. Et si non perinde fracta fuerint ipsius crura, ut latronum. Idem tibi respondetur ad verba. *Qui pro nobis effunditur*, præsens nempè poni, pro mox futuro. At urges *articulum græcum, quem referri vis, ad τὸ ποτήριον, non ad τὸ αἷμα.* Sed cùm calix fundi propriè non possit, necesse est, ut in verbis agnoscas, duplicem Metonymiam Sacramentalem: Calix enim pro vino, in calice contento, sumitur: Vinum deinde dicitur ipsum fædus, cùm sit fæderis, seu potius sanguinis, quo fædus sancitur, Symbolum, ac tessera, à qua figura Sacramentali, penitus abhorretis.

Non itaque quod proposueras, Smigleci, probasti, Christum in ultima cæna, sub speciebus panis, & vini, seipsum obtulisse; sequeretur enim: Christum habuisse tunc, duo corpora: alterum visibile, ad mensam cum discipulis sedens: alterum invisibile, sub speciebus latens: alterum dans, alterum datum, quod impossibile. Quod ad Apostolos attinet, iis certè magnam injuriam facis. Fingis enim eos id fecisse, de quo illi nequidem somniârunt: de quibus tu tamen; *Hoc facite*, inquis, *in mei commemorationem: intellexerunt se divino præcepto obstrictos ad faciendum, quod viderant, Christum fecisse.* Rectè sane; atqui non viderunt Christum, se sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulisse, non id itaque fecerunt Apostoli. Viderunt verò, Christum visibiliter ad mensam, discumbentibus discipulis, quotquot aderant, panem & vinum benedicta, in sui memoriam distribuisse: idem ergo illi faciebant, attestante Paulo,[h] *Ego* inquit, *accepi à Domino, quod & tradidi vobis* &c. Ratione autem hujus ministerii, non se sacerdotes, sed dispensatores mysteriorum Dei, nominârunt. [i] *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

Porrò ut probes, Apostolos externum Sacrificium habuisse, ab altari externo Argumentum sumis: [k] *Paulus disertè meminit mensæ domini, & mensæ dæmoniorum: nomine mensæ, intelligens altare in quo immolabatur, hic dæmoni, illic Deo; est enim altare mensa sacrificii.* Erras vir doctissime. Non enim Apostolus mensæ domini, altaria idololatrarum opponit; sed illa convivia, quæ verè ad mensas, Idololatræ, post peracta sua sacra, in honorem Dæmoniorum, celebrârunt: quorum, ut potè Idololatriæ appendicũ, cùm Christianos participes esse nollet, in ea verba erumpit: *Non potestis participes* esse,

Absurdum.

Apostoli non obtulerunt Christum.

h 1. Cor. 11. v. 23.

i 1. Cor. 4. v. 1.

k 1. Cor. 10. v. 21.

Argumentum ab altari ad sacrificium.

Ejus solutio.

esse, mensæ Domini, & mensæ Dæmoniorum. Poteras id observasse ex verbis similibus, *Non potestis bibere poculum Domini, & poculum Dæmoniorum*. Ethnicos autem in suis altaribus bibisse, ne fando quidem auditum est: hoc enim peractis sacrificiis factitabant. Vnde Atheneus μετυειν quasi μεθατο θυειν dictum existimat, eò, quòd postquam sacrificaverant, in solennibus illis conviviis, solerent ebrietati indulgere. In rem eandem producis alium locum Pauli: [l] *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*. At videre poteras, quod Apostolus altaris nomen usurpet, non pro aspectabili, & materiato altari: illud enim tabernaculo, ac per consequens, materiali altari, in tabernaculo constituto, opponit: sed vocabulum altaris sumit, pro spirituali altari, cujus materiale typus fuit, id est, Christo, à quo Iudæos obstinatos, ceremoniis legalibus addictos, hisce verbis excludit: *De quo non habent potestatem edere, qui tabernaculo deserviunt*, id est, qui ceremoniis legalibus, per Christi mortem abolitis, addicti sunt. [m] *Si circumcidimini*, inquit Paulus, *Christus vobis factus inutilis*. Altaria materialia Apostoli habuêre nulla, & post illorũ tẽpora multis seculis Christiani illis caruêre. Ita enim [n] Origenes: Celsus ait; *Nos altaria defugere, quominus fundentur, cùm non videat, nobis pro aris, esse justorum mentes*. Clemens verò Alexandrinus: [o] *Est ergo*, inquit, *apud nos altare, terrestris congregatio fidelium incumbentium orationi, qui veluti unam vocem habent, & animã*. Assentiuntur Chrysostomus & Ambrosius ita scribentes: [p] *Accedamus itaque in veraci corde, fide, spirituali culturâ, quia nihil est visibile horum, neque sacerdos, neque sacrificium, neque altare*. Vrges verba: *De quo edere non habent potestatẽ illi qui altari deserviunt*; ex quibus inferre vis: *hæc esca*, inquis, *non est Christus in altari crucis oblatus, hanc enim escam, habent potestatem edere per fidem omnes homines, tàm fideles quàm infideles*. Verba tua multis erroribus scatent, Smigleci. 1. Error, quòd Christum neges esse illam spiritualem escam, quem tamen Paulus legalibus ceremoniis opponit. 2. Error, quòd per hos, qui deserviunt tabernaculo, Christianos fideles intelligas, cùm intelligendi sint Iudæi carnales, Mosaicis ritibus etiam tum addicti. 3. Error, quòd dicas, hanc escam habent potestatem edere, per fidem, omnes homines, tàm fideles, quàm infideles. An non ista manifestam implicant contradictionem: Per fidem manducare Christum in cruce oblatum, & tamen infidelem esse? Vides, Smigleci, quò vos rapiat præposterus amor Helenæ vestræ, id est, Missæ, in cujus gratiam ista effingis: *Ista esca est Christus in Sacramento, quia prius sacrificatur*

[l] *Heb. 13. v. 10.*
Locus Pauli excutitur.
[m] *Gal. 5. v. 2.*
Altaria materialia Apostoli habuêre nulla.
[n] *Lib. 6. contra Cels.*
[o] *Lib. 7. Strom.*
[p] *In Epist. ad Hebr.*
Instantia Smiglecii.
Errores Smiglecii.
1.
2.
3.

crificatur Deo, tum à fidelibus comeditur. Neutrum verum eſt, Smiglecî. Neq; enim Chriſtus in Miſſa ſacrificatur Deo; neq; hoc, quod offertis, à fidelibus comeditur, ſed à ſolo ſacerdote abſumitur. Vtinam etiam num obtineret Canon ille Calixti Pontificis. [q] *Peractâ conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus: ſic enim Apoſtoli ſtatuerunt, ſic S. Romana tenet Eccleſia.* Verùm nunc omnia inverſo ordine volvuntur, quod enim antea fuit Catholicum, nunc vobis eſt hæreticum. Producis pro te S. Andream, & Liturgiam Iacobi. Ad verba D. Andreæ afficta, ſupra reſponſum eſt. Liturgia verò Iacobi, non eſt Apoſtoli Iacobi, alioquin pars Canonicæ ſcripturæ eſſet; ſed ſuppoſititia. Precationes enim continet, pro iis, qui ſunt in monaſteriis, quæ tempore Apoſtolorum non fuêre.

Communio publica.

q *De Conſecr. Diſt. 2.*

Exulat ab Eccleſia Romana.

De Liturgia Iacobi judicium.

Scriptis itaq; minime gnîſiis diffidens, profers locum *ex Act: cap: 13. Miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit Spiritus S.; ſegregate mihi Paulum & Barnabam.* Hic cùm ſacrificii nulla ſit mentio, tamen quæris: *Quomodo miniſtrabant Domino, niſi ſacrificando?* Quaſi verò nulla alia ſit, miniſtrãdi Deo ratio, niſi externũ ſacrificium? An non Deo miniſtrat, qui Deum precatur, qui in honorem ejus, ſuiq; humiliationem, jejunat; qui verbum Dei populo, in gloriam ipſius, prædicat; qui Sacramenta ritè adminiſtrat? Audi in hunc locum commentantes. Oecomenius: *Dum munus ſuum obirent, id eſt, prædicarent.* Cajetanus: *Non explicatur ſpecies miniſterii, ſed ex eo, quod dixerat (Prophetæ & doctores) inſinuatur, quòd miniſtrabant Domino, docendo, & prophetando.* Abſurdum quidem vobis videtur, ſi quis prædicationem verbi divini vocet ſacrificium, ſed ab hac voce non abhorruerunt Patres: Ita enim Epiphanius: [r] *Hi omnes electi ſunt Apoſtoli, ſacrificantes per terram Evangelium, unà cũ Paulo ac Barnaba & reliquis.* Item Origenes: [ſ] *Sacrificale opus eſt, annunciare Evangelium.* Item Chryſoſtomus: [t] *Ipſum mihi ſacerdotium eſt prædicare & evangelizare; hanc offero hoſtiam; Machæra ſiquidem mea Evangelium eſt, prædicationis videlicet ſermo.*

Locus Act: 13. excutitur.

Prædicatio dicitur Patribus ſacrificium.

r *Hær. 97.*

ſ *In cap: 10. Ep: ad Rom.*

t *Hom: 29. in Epiſt: Rom.*

Inſtas: *Pari ratione dixiſſet Apoſtolus: Iejunantibus Domino.* Certè poterat dicere, ſed contentus fuit ſemel dixiſſe: *Domino Miniſtrantibus*, ut innueret, totum illud miniſterium, jejunium, preces, prædicationem verbi, in gloriam ſolius Dei, directum fuiſſe. Adducis pro te Eraſmum qui vertit Sacrificantibus. At Eraſmus vobis eſt ſemichriſtianus: ejus verſio à te produci non debet, cùm in Vulgatam ex Decreto Tridentino juraveris. Licèt autem vox illa rectè ab Era-

Eraſmi verſio.

Smiglecki recedit à verſione vulgata.

ab Erasmo conversa fuisset, nihil tamen evinceres, nam citra Missam, quam Apostoli ignorârunt, fuêre sacrificia apud Apostolos in honorem Dei, offerri solita, fructus videlicet labiorum confitentium nomini ejus. Heb. 13.

Liturgia quid antiquis.

Liturgia verò antiquis Græcis, nunquam fuit Missæ sacrificium, sed publica administratio Cænæ Domini, utraq; specie ab omnibus sumptæ. Ita enim Chrysostomus, in Liturgia, quæ nomine ejus circumfertur. *Posteaquam sacerdos accepit communionem, cum reliquis, tum porta maxima aperitur: sacerdos calicem ostendit populo, dicens: In timore Dei, & fide, & charitate appropinquate. Diaconus ait: Appropinquate in pace. Populus respondet: In nomine Domini. Deinde Diaconi sumunt communionem: postea mysteria deferuntur ad locum, in quo populus accipere debet.* Basilius in Liturgia: *Nos omnes,* inquit, *ex uno pane atq; ex uno poculo sumentes &c.* Item. *Sacerdos dividit sanctum panem in quatuor partes, chorus communionem canit, & sic communicant omnes.* Quin & in ea, quæ Iacobo affingitur, Liturgia, ista habentur: *Sacerdos ait: Nullus eorum, qui orare non poßunt, nobiscum ingrediatur. Diaconus ait: Cum timore & fide, & dilectione accedite. Populus respondet: Benedictus qui venit in nomine Domini. Deinde impertit Clero. Cùm autem attollunt Diaconi, discos & calices ad impertiendum populo, Diaconus ait: Domine benedic &c.*

Missam privatam evertit.

Missa irrogat injuriã morti Christi.

Pergis Smigleci, ego subsequor: *Ajunt,* inquis, *Evangelici, irrogari maximam injuriam sacrificio in cruce peracto.* Quod ajunt, verè ajunt. Aut enim Missam celebratis, in memoriam illius, in cruce peracti sacrificii; aut in supplementum defectus alicujus, in eodem sacrificio: si in memoriam, fateamini ergo Missam esse, non reale, externum, propitiatorium, sed tantum commemorativum sacrificium: Si in supplementum defectus, Missam celebratis, injurii, in illud sufficientissimum sacrificium, estis, cujus plenitudinem & sufficientiam, ut nobis Spiritus S. ob oculos ponat, tria ei tribuit. Peccatorum purgationem: [u] *Christus semel oblatus est ad exhaurienda peccata multorum.* 2. Sanctificationem: [x] *Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi factam semel.* 3. Consummationem: [y] *Unicâ oblatione in perpetuum, consummavit eos, qui sanctificantur.* Si itaq; sacrificio in cruce peracto, exhausta sunt peccata, si eodem sanctificati, & in perpetuum consummati sumus, nullus igitur Missæ usus erit, de qua tamen olim cecinistis: [z] *Tantùm valet Mißa, quantùm mors Christi.*

Sufficientia Sacrificii Christi.

u *Heb. 9. v: 28.*

x *Heb: 10. v: 10.*

y *v: 14.*

N. B.

z *In Mißali Cracoviensi.*

Per Missam non applicatur fructus passionis Christi.

Quod verò de Applicatione fructuum passionis Christi, per Missæ sacrificium declamitatis, totum inane est. Applicandi enim modus

modus est sola fides, in Iesum Christum, dicente Paulo: [a] *Participes Christi effecti sumus, si initium substantiæ ejus usq; ad finem firmum retineamus*: quæ sit ista substantia explicat alibi: [b] *Est autem fides*, inquit, *sperandarũ substantia rerum*. Porrò fides cùm ex verbo Dei gignatur, Sacramentorum usu confirmetur, precibusq; piis foveatur, verbum Dei sæpissimè audiendum est, Sacramentorum usus nequaquam intermittendus, preces verò ardentes ad Deum ut fidem augeat, fundendæ sunt: ac ita ad hanc rem, vestræ Missæ, nulla necessitas erit.

Fides applicat. a Heb: 3. V: 14.

b Heb: 11. V: 1.

Missæ nulla necessitas.

Sed cùm in hoc negotio versemur, rogo expedias me, ex hac difficultate, cui me implicuit Canon Missæ vestræ, in quo ita tacitè oratis: *Te igitur clementissime pater, per Iesum Christum filium tuum dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata, imprimis, quæ tibi offerimus; pro Ecclesia tua sacrosancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris, in orbe terrarum* &c. Hic quæro, quodnã sacrificium pro ecclesia Deo offeratis? Si dixeris, Christum. Ergo pro Christo, per Christum, patrem, ut eum acceptet, & benedicat, rogatis. Aut ergo aliud, quàm Christum, in Missa offertis: aut pro Christo, apud patrem, importuni, & blasphemi intercessores, estis. Rectè Augustinus: [c] *Homines*, inquit, *invicem orationibus sese commendant: pro quo autem nullus intercedit, sed ipse pro omnibus, ipse est verus & unus mediator*.

Verba Canonis.

N. B. Nodus plus quàm Gordius.

c Cont: Epistol. Parm. lib: 2. c. 8.

Quandoquidem igitur, Smigleci, probare non potuisti, Christum eam potestatem sacerdotibus concessisse, quâ corpus & sanguinem ejus, sub speciebus panis, & vini, in Missa offerre possint: Sequitur igitur, quòd non eviceris, Ministros Evangelii, legitimos Ministros non esse.

Ad quintam Demonstrationem, & Caput nonum responsio.

Christus suis Ministris dedit potestatem conficiendi sacramentum corporis & sanguinis sui.

Hanc potestatem nec habent nec agnoscunt Evangelici.

Non sunt igitur, veri Christi Ministri.

Hæc Demonstratio est mera petitio principii: quia id pro fundamento ponitur, de quo, maxima controversia. Sic enim scribis, Smigleci,

Potestas conficiendi corpus & sanguinem Christi omnino neganda.

Smigleci, *Minimè dubitari potest, præcipuam potestatem, quâ Ministros suos ornavit Christus, esse, potestatem illam, conficiendi corporis & sanguinis Domini in Sacramento.* Erras, vir doctissime. Non enim tantùm de ea potestate dubitari potest, sed hæc potestas omninò neganda est. Nam cum corpus Domini nostri Iesu Christi, ex purissimo sanguine, beatissimæ virginis, operatione Spiritus S., creatum sit, blasphemum est, si propriè loqui velis, illud ipsum corpus, ex pane, à Sacerdotibus confici. Sin verò phrasis est sacramentalis, quâ in Majore Demonstrationis tuæ, uti videris, ut potestatem, non ipsum reale corpus, sed hujus corporis Sacramentum conficiendi, à Christo collatam Ministris dicas, Major quidem Demonstrationis tuæ vera, sed Minor necessariò, in qua dicis, hanc potestatem nec habere, nec agnoscere Ministros Evangelicos, neganda est. Illi enim hanc potestatem, & agnoscunt, & exercent, quoties sacramentum corporis, & sanguinis Christi, ex officio, administrant. Id verò muneris, solis Ministris, legitimè vocatis, competit: Soli enim administrare possunt. Quæ itaque de *muliere, puero, plebe,* disputas, in re minimè necessaria, oleum & operam perdis. Apud nos enim nec Baptismi, nec Eucharistiæ administrandæ copia cuiquam, prætèr Ministrum legitimè vocatum, datur: apud vos verò fœmina Angla Iohanna 8. biennium sedem Romanam rexit, sacros ordines contulit, Episcopos creavit, Sacramenta administravit, & cætera Pontificum Romanorum munia, exercuit, communi errore jus faciente; quam historiam, teste Volaterano, propter rei fœditatem, multi omiserunt.

PAPA mulier.

Cornelius Agrippa de vanit: scient: cap: de secta Monastica.

Divina potestas in Ministris qualis.

Porrò ad conficiendum hoc Sacramentum *divinam potestatem requiris.* Si divinæ potestatis nomine, eam intelligis, quæ à Deo sit collata: rectè id quidem facis. Vt enim Dei solius est, instituere Sacramenta: ita illius solius, mediante Ecclesiâ, potestatem ritè eadem administrandi, tribuere: Sin verò per divinam potestatem, eam intelligis, *quâ creatores vestri creatoris* evadatis, id verò blasphemum est. Hanc amplificaturus sic rhetoricaris: *Si omnem facultatem hominis excedebat, ut ad hominis vocem sol consisteret, & luna non moveretur,* [d] *obediente Deo, voci hominis: quantò magis superat hominis potestatem, Christum in cælis, ad patris dexteram residentem, constitui in altari, sub modica panis, & vini specie.* Ista tua Rhetoricatio, Smigleci, cùm verbis, tũ etiam erroribus scatet. Nam 1. Scripturam malè citas. Non enim in ea habetur, ut vulgata vestra legit, *Obediente Deo voci hominis,* sed ut doctissimi interpretes ex Hæbreo vertunt, [e] *Vt exaudiret dominus vocem hominis:* Vel, [f] *Et non fuit, si-*

d *Iosue 10. v: 13.* Smiglecii rhetoricatio erroribus scatet,

quorum 1.

e *Sic Tigurini.* f *Sic Arias Montanus.*

fuit, sicut dies illa ad facies ejus, & post eam, ad audiendum Dominum, in voce viri. Sensus verborum est. Nulla dies fuit, quâ Deus ita quempiam exaudiverit, ut ad vocem ejus, cursum naturæ immutarit. 2. Confers non conferenda: Quòd enim Sol & Luna cursum suum, jubente Domino, stiterint, Scriptura apertè testatur: quòd verò Christi corpus, dexterâ patris, sub species panis, & vini, devocetur; Scriptura manifestè negat. [g] *Oportet*, inquit Petrus, *Christum cælo capi ad tempora restitutionis omnium*. 3. Implicas contradictionem, cum dicis Christum, ad patris dexteram residere, & tamen in altari sub modica panis, & vini specie, contineri. [h] *Corpus enim Christi*, ut rectè inquit Augustinus, *uno loco esse oportet, veritas ejus ubique diffusa est.* Hîc ad miraculum confugitis. Sed rectè idem pater sanctus inquit; *Sacramenta, ut sacra, hononorem habere possunt, stuporem ut mira, habere non possunt.* Optarim, Smigleci, ut me ex hac difficultate expedias, confiteris Christum, sedere ad dexteram patris, in cælo, quò ad carnem, eundem, sub speciebus Eucharisticis, delitescere credis. Eucharistia ad consummationem seculi, idest, [i] *donec Christus venerit*, celebrabitur. Dic ergo Smigleci, unum idemque numero corpus, unde proditurum, ad judicium, è cælone, an ex speciebus, quæ sunt supra terram? Ego certè simplicissimè, juxta Symbolum credo, *Inde venturus est judicare vivos & mortuos.*

2.

g *Act: 3. v: 21.*

3.

h *Tract: 30. in Ioan.*

i *1. Cor: 11. v: 26.*

Locus Chrysost. objicitur.

k *Lib: 3. de Sacerdo.*

l *Hom: 60. ad Popul: Antiochi*

Ne verò absque antiquitate, loqui videaris, *profers* [k] *Chrysostomum, qui tanquam miraculum suspicit eam benignitatem, quòd, qui cum patre sursum est, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur, & qui etiam ita loquitur:* [l] *Quo non oportet eße puriorem tali fruentem sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem manū carnem hanc dividentem? Os, quod igni spirituali repletur, linguam, quæ tremendo nimis sanguine, rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali mensâ fruaris, quod Angeli videntes horrescunt, neque libenter audent intueri propter micantem inde splendorem, hoc nos pascimur.*

Ad eum responsio.

Respondeo. Chrysostomum hyperbolicè loqui, partim, ut excellentiam tanti sacramenti, ad cælum laudibus ferret, partim, ut ad dignam præparationem, auditores suos, excitaret. Nec enim tu, ad literam vera esse credis, Christi corpus, omnium manibus tractari, nisi quoad Symbolum, & linguas sanguine rubefieri. Nam tua lingua, licèt toties celebraveris, nunquam tamen, Christi sanguine rubefacta fuit. Tales Hyperbolicæ loquutiones multæ sunt in patribus. Ita enim idem Chrysostomus; [m] *Quod non paßus est*, inquit, *Christus in cruce, patitur in hac oblatione, nam patitur se confringi.* Item

Hyperbolæ patrum.

m *In 1. Cor: cap. 10.*

n Serm:4. de Nativit.

tem Leo: [n] *Christus dedit aquæ, quod dedit matri: Virtus enim altissimi, quæ fecit, ut Maria pareret salvatorem, eadem facit, ut regeneret undâ credentem.* Hasce abusivas patrum phrases, si ad literam acciperemus, quot transsubstantiationū portenta haberem°. Ita enim alii loquuntur. Dionysius: [o] *Baptizati transeunt in Deum.* Leo: [p] *Corpus in baptismo, fit caro crucifixi.* Theophilactus in persona Christi: [q] *Qui manducat me, vivet propter me, miscetur mihi, transelementatur in me.* Patrum itaque dicta dextrè interpretanda sunt, nec illis affingendum, de quo illi, seriò & dogmaticè loquentes, nunquam cogitârunt, ut Chrysostomus de Transsubstantiatione. Ita enim disertè scribit: [r] *In vasis sanctificatis non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis ejus continetur.* Item: [s] *Antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divinâ autem illum, sanctificante gratiâ, mediante sacerdote, liberatus est quidem appellatione panis, dignus autem habitus est definiri corporis appellatione, etsi natura PANIS in ipso permansit.*

o de Ecclesiastica Hier: cap: 1.
p Serm: 14. de Pass.
q in Cap: 6. Ioan
r Homil: 11. in Mat. operis imp: Chrysost: negat Transsubstantionem.
s Ad Cæsarium

Arenoso itaque fundamento substrato, jam nos tamen in certamen, provocas. *Prodeant*, inquis, *Evangelici, & ostendant tam divinam in Ministris potestatem.* En ego prodeo, Smigleci, nomine reliquorum, hancque confictam potestatem conficiendi corpus Christi, non tantum in Ministris ostendere minimè teneor, sed in vobis, ut confictam, & merè blasphemam, execror. Delectat vos quidem, ratione hujus fictæ potestatis, creatores creatoris vestri nuncupari: verùm ad hanc blasphemam vocem, quæ ne inter Ethnicos quidem audita fuit, cælum obstupescit, terra commovetur, nedum, ut aures piorum obsurdescant. Quis enim ferat, verba [t] Discipuli, & [u] Michaëlis Lochmaieri Canonici Pataviensis? *Tanta est*, inquiunt, *virtus sacerdotis, quod efficitur creator creatoris sui, & pater patris sui.* Quæ etiam, in [x] *Lavacro conscientiæ, & Stella clericorum* reperies.

Potestas, quam sibi Pontificii sacerdotes blasphemè arrogant.

Quasi sint Creatores Creatoris sui.
t Dom: 18. post Trinit.
u De nova Miss. Serm. 113.
x Lav: cap: 5.

Porrò cùm tantæ blasphemiæ patronus existas, Lutheranos tamen & Calvinistas adoriris. Lutheranos quidem, quòd *licet præsentiam corporis Christi in sacramento admittant, corpus tamen Christi in, cum, sub pane, contineri dicunt.* Tales non sunt omnes, Smigleci, Alii enim præcisè ubiquitatem corporis Christi, statuunt, & corpus Christi, in, cum, sub pane latere volunt: alii præsentiam quidem corporis urgent, sed de modo præsentiæ, minimè litigant. Priores refutare non potes, quin teipsum refutes: Vt enim Christus non dixit, In, cum, sub pane est corpus meum: ita etiam non dixit; Sub speciebus panis & vini est corpus & sanguis meus. Nec illorum er-

rorem, quoad Transubstantiationem defendis, evitare potes. Dicitis enim, in qualibet consecrata Eucharistia, & in ejus qualibet particula, corpus Christi esse. At si corpus Christi est multipræsens, omnipræsens sit necesse est. Præterea, Corpus Christi in Eucharistia contentum, aut replet spatium loci, quod intercedit, inter Eucharistiam, & corpus aspectabile in cælo existens, item spatium, inter Eucharistiam, & omnes alias, diversis locis existentes Eucharistias, aut non: Si replet, est itaque ubique, ac ita transitis in castra Vbiquitariorũ: Si nõ replet; Ergo quot hostię consecratæ, tot erunt divisa, & multiplicata corpora Christi. Audi Aquinatem: y *Si potest Christi corpus esse in duobus locis simul, tum etiam in pluribus, atque adeò ubique, sed dicendum est, quòd in pluribus locis simul eße nequit, ne per miraculum quidem.*

Pontificii ubiquitarii. 1. 2.

y *In supplemento Quæst: 83. Art: 3.* Corpus Christi in pluribus locis esse nequit.

Hæc cùm ita se habeant, tamen vis Lutheranos, ad angustias adactos, idque hac ratione. *Christus non dixit: Hic est Corpus meum:* sed, *Hoc est Corpus meum, scilicet, quod manibus teneo*, &c. Ratio tua te ipsum illaqueat, Smigleci. Quid enim Christus manibus tenebat? proculdubiò id, quod acceperat; Porrò quid acceperat? Dicat Apostolus: *Accepit panem, gratiis actis, fregit, dedit discipulis*, &c. De pane igitur benedicto dixit: *Hoc est corpus meum*, proinde propositio exurgit: *Panis est corpus Christi;* quæ adliteram manifestè falsa: Vera, in figurato methonymico sensu; quem siquidem Calvinistæ (ut eos per invidiam vocas) amplectuntur, immeritò eos lacessitos voluisti.

1 Cor: 11.

At tu, iterum de potestate multa declamitas, dicisque eam *Lutheranos nullam agnoscere.* Nullam certè, Smigleci, agnoscunt talem, quâ panis, in corpus Christi transubstantiari possit; nulla enim talis à Christo Apostolis, collata fuit: agnoscunt tamen, in Ministris potestatem ritè, & legitimè administrandi Sacramenta, qualem dederat Christus discipulis: Vt ergo Lutheranos premas: *Nimirum*, inquis, *faciendum Apostolis præcepit, quod ipse faciebat.* Rectè sanè. Atqui Christus non transubstantiabat panem, in corpus suum: sedebat enim visibilis cum ipsis ad mensam. Id itaq; Apostolis faciendum non præcepit: z Locus Pauli: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonné est communicatio Sanguinis Christi?* Nihil te juvat; concedimus enim calicem benedictum, sacramentaliter esse communicationem sanguinis Christi, quia vinum benedictum, in calice contentum, est Symbolum ac tessera ejus. Cautè autem fecisti, quòd non produxeris verba, inferiùs posita: *Panis quem frangimus* &c. Videbas enim, hisce verbis tolli Transubstantiationem vestram. Si enim pa-

z *1. Cor: 10. V: 16.* Locus Pauli excutitur.

nim panis frangitur, (non accidentia, non corpus) substantia igitur panis remanet.

Satis verò mirari non possum, quòd ad eum modum panem, & vinum, in corpus & sanguinem Christi, transmutari dixeris, ad quem aqua in vinum, in Cana Galileæ, mutata est.

Mutatio aquæ in vinum non patrocinatur Transsubstantiationi.

1. Illud enim vinum, in quod aqua mutata est, non præexistebat ante mutationem, sed ex illa ipsa aqua miraculosè factum est: At corpus Christi præexistit, ante transsubstantiationem. Nullam autem veram essentialem mutationem, ostendere poteris, quâ aliquid mutetur, in præexistens.

2. Deindè, mutatâ substantiâ aquæ, in substantiam vini, mutata sunt etiam omnia accidentia: Color enim, odor, sapor vini verus fuit: At vos talem panis, in corpus Christi, mutationem fingitis, quâ, materiâ panis evanescente, omnia accidentia panis remaneant; sed si accidentia panis sunt, panis ergo illorum subjectum, Smigleci. *N.B.*

Absurdum Evangelicis affictum.

Ad absurdum Lutheranos deducis, scilicet: *Si fide*, inquis, *constituitur corpus Christi, in Sacramento, Ergo quoties Evangelici panem suum manducant, & bibunt vinū, in conviviis, si credent, ibi eße corpus Christi, omnes panes replebuntur corpore Christi, & omnia dolia sanguine ejus.*

Absurdi objecti depulsio.

Ridiculus es, Smigleci, dum argutus videri vis. Fides enim Evangelicorum, nititur solâ promissione Christi; at nulla promissio Christi extat, de præsentia corporis sui, in quibusvis conviviis: hoc itaq; Lutherani credere non possunt, ac ita tuum absurdum evanescit.

Absurdi potius Pontificii.

Tu potiùs vide, quomodo absurdum evitare possitis: Si enim eâ potestate sacerdotes vestri præditi sunt, quâ panem convertere possunt, in corpus Christi; sequitur, si sacerdos in foro, ubi venditur panis, cum intentione consecrandi, protulerit verba: *Hoc est enim corpus meum*, quòd omnes panes transubstantiabit, in corpus Christi, ac ita plena macella erunt corporis Christi.

Porrò ut nobis odium conf les, dicis, *Evangelici injuriam faciunt omnibus fidelibus, quia Christum ex Sacramento tollunt, quo sublato, perit vita æterna.* Imò verò, Smigleci, tu magnâ injuriâ afficis Evangelicos: Illi enim veram præsentiam Christi, cujus per fidem sumus participes, minimè tollunt, sed præsentiam carnalem, sub speciebus panis & vini à vobis confictam.

Evangelici Christū ex Sacramento non tollunt.

Fidei, corpus Christi promissum.

Vt verò tibi constet, non speciebus, non ori, non stomacho, sed fidei, corpus Christi, esse promissum, en habes expressum testimonium: [a] *Qui venit ad me, non esuriet unquam, & qui credit in me, non sitiet in æternum.* Item. [b] *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Mãducamus Christum, ut ipsum in nobis manentem habeamus, proinde talis Christi manducatio, qualis in nobis mansio: [c] *At per fidem*, in-

a *Ioan:6. v.35.*
b *v.56.*
c *Eph:3. v.17.*

dem, in-

dem, inquit Paulus, *Christus habitat in cordibus nostris.* Ergo & per fidem manducatio. Rectè Tertullianus: [d] *Auditu*, inquit, *devorandus est, intellectu ruminandus, fide digerendus.* Quæ verò de contactu corporis Christi affers, merces sunt nullius pretii: Non enim contactus corporis Christi, sed fides, & potentia divina illius, populum sanabat. An non tangebant Christum, qui in horto, ipsum vinciebant? an non tangebat, osculatus ipsum proditor Iudas? an non manibus prehendebant, qui cruci, (quorum aliqui fortassis, sacratissimo sanguine, fuerunt conspersi) affixerunt eum? Quid tamen ipsis, fide destitutis, corporalis contactus, commodi attulit? Nihil omninò: quin potiùs ipsis in majorem condemnationem cessit. Divina ergo Christi potentia, & fides in eum credentes, curabat. Hinc Hæmorrhousæ: [e] *Fides tua*, inquit, (non contactus) *te salvam fecit.* Egregiè de tangendo Christo Ambrosius: *Fide*, [f] inquit, *tangitur Christus, fide videtur, non corpore tangitur, non oculis comprehenditur. Si igitur & nos curari volumus, fide tangamus fimbriam Christi.* Nec non Chrysostomus: [g] *Adeamus igitur Christum singuli ægrotantes, magnâ cum fide. Nam si, qui fimbriam vestimenti ejus, tum tetigerunt, rectè omnes convaluerunt; quantò magis corroborabimur, si totum in nobis habuerimus.*

d *De resur. car.*

Contactus Corporis Christi sine fide nihil prodest.

e *Marc: 5. v: 34.*

f *In Lucam lib. 6. cap: 8.*

g *In Mat: Hom. 57.*

Vos potiùs, Smigleci, quamvis omnes, præsentiam carnalem corporis Christi, sub speciebus statuatis, eandem tamen sumentibus subtractam, quodammodo vultis, nec in hac parte vobis constare potestis. Ita enim Paraphrastes, vestri Gratiani scribit: [h] *Quàm citò species dentibus teruntur, tàm citò, corpus Christi, in cælum rapitur.* Si itaq; rapto corpore in cælum Christi, species dentibus deteruntur, specierum itaq; non corporis, manducatio fit. Diversum sentit Durandus: [i] *Corpus Christi*, inquit, *de ore transit in cor, & tunc desiit esse præsentia corporalis, manente spirituali.* Omnium verò absurdissimè, Ioannes de Lapide Carthusianus, Theologus Parrisiensis, in Decisionibus casuum affirmat: [k] *Corpus Christi delabi in ventriculum, & non tantùm per vomitum, sed etiam* (horreo referens) *per secessum, emitti posse.* O egregios Theologos, de glorioso corpore Christi, tam honorificè sentientes, & scribentes! Vbi ergo illa vestra, quam tantoperè jactatis, concordia?

Pontificii de orali manducatione sibi non constant.

h *De Consec. D. 9. Can: Tribus gradibus in Glossam.*

i *Lib. 4. cap. 41. in Rationali divinorum.*

Blasphemia.

k *Cap. 6. fol: 36. 37. impr. Parisiis anno 1598.*

Sed ut imbecillitas argumentorum nostrorum, quæ pauca adducis, cuivis conspicua sit, ea diluenda, scilicet, recipis, quæ nos, à tuis strophis, vindicabimus. Objicis ergo tibi ex persona adversariorum: *Sacramenta sunt signa; Ergo non res ipsa.* Invictum certè argumentum. Sacramentum, (teste Augustino, vobis etiam approbantibus)

Argumenta Evangelicorum vindicantur.

1.

Sacramēta signa.

tibus,) est signum sacræ rei. Eucharistia est sacramentum. Ergo est signum sacræ rei, videlicet corporis & sanguinis Christi: ac per consequens, si quidem signum cum signato, confundi non debet, non est ipsum reale corpus, & sanguis Christi. Quid verò tu ad hoc argumentum? *Fateor*, inquis, *sacramenta esse signa: at signa non vacua, neque inania, sed plena rerum & fœcunda, & id, quod significant, exhibentia.*

Non vacua signa.

Nec nos sacramenta, signa vacua dicimus, Smiglecii: Sunt enim sacra sigilla, & signacula fidei, in quorum legitimo usu, pœnitentibus & credentibus, Deus quod promittit, confert. In iis tamen, tanquam in pixide, gratia Dei, includi nequit, nam sacramentis Iudas proditor, & Simon magus usi, salutem tamen consecuti non sunt: Latro verò, à dextris pendens, etiam citra sacramentorum usum, paradisum adeptus est. Rectè itaque [l] Bonaventura: *Non est*, inquit, *aliquo modo dicendum, quòd gratia continetur in ipsis sacramentis essentialiter, tanquam aqua in vase, aut medicina in pixide, imo hoc intelligere, est erroneum; sed dicuntur continere gratiam, quia eam significant.*

Non includitur tamen iis gratia.

l *In 4. Sentent. Dist. Quæst. 3.*

Porrò apprimè placet nobis, quòd exempli gratiâ, Baptismum produxeris. Si enim in baptismo, citra ullam mutationem essentialem aquæ, Christum verè induimus, animæque nostræ, sanguine ipsius, purgantur. Ergo in cœna Domini, corporis & sanguinis ejus, participes esse possumus, citra mutationem elementorum essentialem, & sine ipsius carnali sub accidentibus præsentia.

Baptismi exemplum.

Carnalem præsentiam Christi tollit.

2.

Objicis tibi iterum. *Quorsum, inquiunt, signa, si res ipsa præsens adest?* Hoc argumentum videtur desumptum ex verbis Pauli: [m] *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Si itaque Christus corporaliter sub accidentia venit, videtur jam superflua tanti sacramenti celebratio. Quid respondes, Smigleci? Fingis *signa necessaria esse, eò, quòd res signata, ut potè sub accidentibus latens, non sit aspectabilis.* Quis autem tibi dabit rem signatam, in signo realiter latere posse? Nullus profectò: Ita enim Eucharistia est signum corporis Christi, ut sit ejusdem memoria: memoria autem rerum præsentium non est. Quòd verò gratiam Dei externo signo denotari vis, recto intellectu assentimur tibi. Ita enim Chrysostomus: [n] *Si incorporeus esses, nuda ipsa bona Deus tibi obtulisset, quoniam verò anima corpori conjuncta est, omninò opus fuit, ut rerum sensibilium adminiculo ad ea intelligenda uteretur.*

m *1. Cor: 11. v. 26*

n *Homil. 60. ad Pop. Antioch.*

3.

N.B.

Tertiò tibi objicis. *Sacramentum hoc vocatur panis & vinum. Ergo non transubstantiatur.* Firmum argumentum. Paulus enim *in*

1. ad Cor:

1. *ad Cor: Epist:* de hoc ſacramento agens, quinquies panem nominat: quod facit, aut propriè, aut figuratè: Si propriè, panis ergo natura propriè manet: ſi figuratè, figuras ergo in ſacramentalibus loquutionibus admittas, neceſſe eſt. Quid reſpondes, Smigleci? Dicis *panem vocari, quia panis fuit, ſed eße deſiit, ſicut aqua in Cana Galileæ dicitur, vinum facta.* Sed erras, nam ſi deſiiſſet eſſe panis, non poſſet frangi, neq; manducari. Atqui Paulus diſertè: *Panis, quem frangimus* &c. *Et ita manducet panem hunc,* &c. Panis ergo ſubſtantia manet. Quod autem de aqua vinum facta, affers, contra te potiùs facit: Propriè enim loquendo, Ex aqua factum fuerat vinum. Atqui hanc propoſitionem: De pane fit corpus Chriſti, ut falſam, meritò rejicitis; non enim ex pane, ſed de puriſſimo ſanguine Mariæ virginis, corpus Chriſti factum eſſe, credimus.

Pari ſucceſſu, affers exemplum columbæ, & linguarum ignearum, quæ vocantur Spiritus ſanctus. Columba enim illa, & linguæ, non fuerunt ipſe Spiritus ſanctus. Nam finitæ fuerunt, Spiritus verò ſanctus finitus non eſt. Vt ergo illæ vocantur Spiritus ſanctus, quia fuêre ſigna Spiritus ſancti: Ita panis & vinum elementa Euchariſtica, vocantur corpus & ſanguis Chriſti, quia ſunt ſigna & figuræ ejus. Sic enim Tertullianus: [o] *Acceptum*, inquit, *panem & diſtributum, corpus illum ſuum fecit, dicendo; Hoc eſt Corpus meum, id eſt, figura corporis mei.* Ambroſius: [p] *Fac nobis*, inquit, *hanc oblationem adſcriptam, rationabilem, acceptabilem, quod eſt figura corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Auguſtinus: [q] *Adhibuit Iudam in convivium, in quo corporis & ſanguinis ſui, figuram Diſcipulis commendavit.* Idem. *Non dubitavit Dominus*, inquit, *dicere; Hoc eſt Corpus meum, cùm ſignum daret corporis ſui.* Sed ne dogma veſtrum, quale in ſe eſt, recens fictum videatur, adducis pro te Cyrillum Hieroſolimitanum, *Cath:*4 & Auguſtinum *lib:*3 de Trinit: *cap:*10. Ad Cyrillum reſpondeo, illius Catecheſes eſſe ſuſpectæ fidei, repertæ ſunt enim, cum inſcriptione Ioannis Hieroſolymitani, qui longè pòſt Cyrillum vixit: Quiſquis tamen autor fuit, ſenſus verborum procul dubiò hic eſt; Euchariſtiam non eſſe panem vulgarem, alendo corpori adhibitum, ſed ex benedictione, eſſe corpus Chriſti, id eſt, Sacramentum ejus. In verbis autem Auguſtini hyperbole eſt, & ad literam vera eſſe non poſſunt. Non enim in ſacramento oculis mortalium Dominus apparet, ſed accidentia panis & vini. Alibi Auguſtinus propriè loquitur: [r] *Quod videtis, panis eſt, quod etiam oculi veſtri, vobis renunciant,* &c. Idem: [ſ] *Cæleſtis panis, qui Chriſti caro eſt,*

Luc. 3.
Act. 2.
Exemplum Columbæ & linguarum.
Evertit Tranſubſtantiationem.
Figura.
o *Lib. 4. contra Martion.*
p *De Sacram. lib. 4 cap. 5.*
q *In Pſal. 3.*
Signum.
Cont. Adim. cap. 12.
Ad Cyrillum & Auguſtinum reſponſio.
r *Serm. ad Inf. & hab. de Conſ. Diſt. 2. Can. Qui manducat.*
ſ *De Conſ. Diſt. 2.*

est, suo modo dicitur corpus Christi, non rei veritate, sed significante mysterio.

4. Quartò tibi objicis. *Ajunt: Scripturam ostendere, Christum in cælo, ad dexteram Dei, ad tempus restitutionis. Non itaque sub speciebus panis & vini delitescit.* Quod Evangelici ajunt, verè & constanter ajunt. Nam ipse Christus de se ita loquitur: [t] *Relinquo mundum*, interprete Augustino, *Corporali discessione*. Ita Petrus: [u] *Oportet Christum cælo capi ad restitutionis tempora omnium.* Ita Paulus: [x] *Si eßet in terris non eßet sacerdos.* Ita omnes Apostoli in Symbolo: *Ascendit in cælum, sedet ad dexteram Dei patris; inde venturus judicare vivos & mortuos.* Quid tu ad hæc tam plana, Smigleci? Respondes, *secundùm formam visibilem eße in cælo, formâ verò invisibili, eße in sacramento.* Erras, unum enim corpus, Christus habet, verum, aspectabile, suisque dimensionibus constans, quod cælò intulit. Vos autem unum aspectabile corpus, Christo verè tribuitis: sed invisibilia infinita erroneè ipsi affingitis. Quantò igitur rectiùs Augustinus: [y] *Per id*, inquit, *quod est Deus, est ubique, per id quod est homo, est in cælo; corpori suo immortalitem dedit, naturam non abstulit.* Qui ergo, ante ultimum judicium, Christum corporaliter in terra ostendunt, videntur annumerandi Pseudoprophetis, de quibus Christus: [z] *Surgent*, inquit, *pseudochristi & pseudoprophetæ, dicentes, Ecce hîc est Christus.* Quæ verba ita expendit Hieronymus: *Cùm Christus sit totius mundi lumen, stultum est, ipsum in parvo & abscondito loco quærere.*

Christi corpus in cælo.
t *Ioan. 16. v. 28.*
u *Act. 3. v. 21.*
x *Heb. 8. v. 4.*
y *Epist. 57. ad Dardanum.*
z *Mat. 24. v. 26.*

At ne vestra distinctio frivola appareat, dicis: *Scripturam docere, quòd Christus, invisibili formâ, sit in sacramento; dixit enim, Hoc est corpus meum.* Sed idem etiam infra, Smigleci, dixit: *Hoc facite in mei memoriam;* innueus panem Eucharisticum ita esse corpus ejus, ut propriè loquendo, sit memoria corporis ejus, in cruce crucifixi. De his verbis alias fusiùs, si placuerit, tecum agam, nunc tandem expedi id, si potes. Consecraturus Eucharistiam, verba Christi recitans, *Hoc est enim corpus meum*, particulam *Hoc*, quorsum refers, an ad panem, an ad accidentia, an ad corpus? Si refers ad panem, erit propositio, Panis est corpus meum, quæ erit necessariò aut figurata, aut ad literam falsa: Sin refers ad accidentia, accidentia ergo erunt Christi corpus, quod etiam falsum: Sin referes ad corpus, sequetur jam corpus præexistere, & ita per ista verba, consecrationem non fieri. Verba enim Christi recitans, non dicis, Hoc mox in momento erit, sed dicis: *Hoc est corpus meum.*

Nodus.

Ex his, quæ hactenus disputata sunt, cuivis manifestum esse potest, Smigleci, quòd potestatem conficiendi corporis & sanguinis

nis Christi, quam non sine blasphemiâ vobis arrogatis, minimè probare potueris: Ego verò cùm ex Scriptura ostenderim, Ministros Evangelicos legitimâ potestate administrandi sacramenta ornatos esse, sequitur, de illorum legitima missione, nequaquam dubitandum esse.

Ad sextam Demonstrationem, Caput verò decimum, responsio.

Legitimi Ministri sunt dispensatores sacramentorum.
Ministri Evangelici non sunt dispensatores, sed dissipatores Sacramentorum.
Non sunt igitur legitimi Ministri.

Majorem, ut verissimam, tibi libenter concedimus; Ita enim Paulus, in persona omnium Ministrorum, loquitur: [a] *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* In Minore cardo totius controversiæ. Probandum itaque tibi incumbit; Ministros Evangelicos esse dissipatores Sacramentorum, quod utrùm probaveris, infra videbimus. Scribis itaque Smigleci: *Evangelici in substantiam Sacramentorum involârunt, & ex receptissimo Sacramentorum numero, quinque sustulerunt, duobus vix pepercerunt, Baptismo & Eucharistiæ, cui tamen gravissimum vulnus inflixerunt, sublato ex ipsa vero Christi corpore.* Per summam injuriam, ista nobis impingis. Non enim corpus Christi ex Eucharistia, sed corporalem ejus, sub accidentibus latentem præsentiam, à vobis confictam sustulimus. Credimus Christum, in usu cænæ ipsius, nobis præsentem adesse, nosque corpore suo, cujus per fidem participes sumus, pascere, & sanguine pretioso, potare; non enim fallit dicens æterna veritas: *Accipite, comedite, hoc est Corpus meum.* Porrò sacramenta, quæ verè, & propriè ita dici possunt, nulla sustulimus: sed Sacramenta vera, ab his, quæ propriè Sacramenta dici non debent, ordinis boni gratiâ, discrevimus. Oritur itaque nobis controversia de quinque Sacramentis, id est, de *Pænitentia, ordinatione, Matrimonio, confirmatione, & Extrema unctione:* quæ sacramenta propriè dicta nullo modo esse, rebus addicam necessariis. Videamus ergo priùs requisita Sacramenti proprie dicti. Quorum

1. Vt à solo Christo institutum sit. Vt enim solus est autor novi fœderis: ita solus, in confirmationem ejus, sigilla instituere potest.

[a] 1. Cor. 4. v. 1.

Evangelici non sustulerunt corpus Christi ex Eucharistia.

Non minuerunt numerum Sacramentorum.

De numero Sacramentorum controversia.

Requisita Sacramenti.

2. Vt habeat externum visibile elementum; quia debet esse invisibilis gratiæ visibilis forma.

3. Vt habeat promissionem à solo Christo sibi annexam, non quamvis, nec de quavis gratia, sed de obsignatione salutis, in legitimo usu. Accedit enim verbum ad elementum, & fit Sacramentum, teste Augustino.

4. Vt sit in Novo Testamento tantùm institutum.

5. Vt sit pro tota Ecclesia institutum, ita, ut illius usu, nemo fidelium, qui seipsos probare possunt, privari possit; sed ejus administratio, ad Christi adventum, sit duratura.

Iam ergo juxta hæc quinque requisita, vestra quinque Sacramenta, examinabimus.

Pœnitentia non est Sacramentum

Pœnitentia, est quidem à Deo instituta, & habet promissionem salutaris gratiæ, non est tamen Sacramentum propriè dictum. 1. Quia non habet externum elementum, à Christo institutum; Non enim in externis ritibus & signis, sed potius in contritione cordis, quæ nobis visibilis non est, consistit, dicente Deo: [b] *Scindite corda vestra & non vestimenta*. 2. Quia si esset pænitentia Sacramentum propriè dictum, esset Sacramentum, tam veteris fæderis, quàm Novi Testamenti: fuit enim in veteri fædere, cum pluribus externis ritibus, vera pænitentia: at nos de sacramentis novi fæderis controvertimus.

[b] *Ioel. 2. v. 13.*

Ordinatio non est Sacramentũ.

Ordinatio est quidem institutum Dei, & legitimè ordinati habent quidem promissionem de donis Spiritus S. non est tamen Sacramentum propriè dictum. 1. Quia non habet elementum visibile à Christo institutum. Impositio enim manuum non est elementum, sed externa ceremonia. 2. Quia esset utriusque Testamenti Sacramentum, fuit enim in veteri fædere, vera ordinatio. Affingit Calvino *Smiglecius*, quasi ordinationem Sacramentum propriè dictum esse concesserit: at Calvini verba perspicua sunt *Inst: lib: 4. cap: 19. Sect: 24. Supersunt tres ordines. Quod autem tertium in numero non posui, eò factum est, quod non ordinarium, nec commune est apud omnes, sed ad certam functionem specialis ritus*. Vide lector, quâ fide, quovè candore, nostros citet Smiglecius.

Calvinus vindicatur.

Matrimonium nõ est Sacramentum

Matrimoniũ non est Sacramentũ propriè dictum. 1. Quia nullũ habet elementũ visibile, à Christo institutũ. 2. Quia non habet promissionẽ salutis æternę: Habet quidẽ promissiones, de tẽporali Dei benedictione, & salvat De⁹ in matrimonio honestè vivẽtes; verùm non propter matrimoniũ, sed quia in Christũ credunt, & pęnitentiam agunt. 3. Quia esset Sacramentũ ante peccatũ, Sacramẽta verò

(ut vos

(ut vos etiam vultis) in remedium peccatorum, lapsis instituta sunt. 4. Quia esset veteris Testamenti Sacramentum. 5. Quia esset etiam inter Iudæos Sacramentum, inter quos etiam verum matrimonium. 6. Quia, si polluit Sacerdotium, non est sacramentum, si est Sacramentum, cum dignitate Sacerdotali, simul consistere potest, suadente Deo:[c] *Pontifex maximus virginem ducat uxorem.* Item Paulo:[d] *Episcopus sit unius uxoris vir.* Dicente etiam Chrysostomo: *Tam honestum esse matrimonium, ut cum eo aliquis possit, in Episcopalem thronum, evehi.* Dices, quòd Paulus[e] Matrimonium vocet Sacramentum. Ita quidem vestra vulgata habet, Græcus autem textus, mysterium; quod intelligi non debet de conjunctione viri & uxoris, sed de illa arctissima copula, quæ Christo cum Ecclesia intercedit. Ita enim idem Apostolus: *Dico autem in Christo & Ecclesia.* Observavit hoc Beda in hunc locum ita scribens, ex Augustino: *Quantum mysterium de Christo continet, quod memoret Apostolus, dicens: Et erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est: & ne quis istam magnitudinem Sacramenti in singulis quibusque hominibus, uxores habentibus, intelligeret: Ego autem,* inquit, *dico in Christo & in Ecclesia.* Idem ferè habet Caietanus, in hunc locum. Porrò, si omnia mysteria, quæ vetus, interpres vocat Sacramenta, essent propriè dicta Sacramenta, non septem, sed septuaginta fermè haberemus. Esset enim octavum Sacramentum voluntatis Dei, de quo *Eph:* 1. *v:* 9. Esset nonum pietatis Sacramentum, Incarnatio Christi, de qua 1. *Tim:* 3. *v.* 16. Decimum Sacramentum, Septem stellarum, *Apoc:* 1. *v:* 20. Vndecimum Sacramentum mulieris, *Apoc:* 17. *v:* 7. Et sic per infinitum.

Non polluit Sacerdotium.

c *Levit.* 21. *v.* 13.

d 1. *Tim.* 3. *v:* 2.

Locus Pauli.

e *Ephes.* 5. *v:* 32.

Confirmatio fuit temporalis in Ecclesia Dei ceremonia, quæ habebat, donum visibilis effusionis charismatum Spiritus S. in eos, super quos Apostoli, Deum orantes, manum posuissent, quod donum Ecclesiæ cùm sit ademptum: non est igitur confirmatio sacramentum propriè dictum, quia non habet etiam externum elementum, à Christo institutum. Chrisma enim, quo in confirmando utimini, ex Synagoga potius, quàm ex Christi Schola, accepistis. Licèt autem confirmationem Sacramentum esse negemus, viget tamen in Ecclesiis nostris, vera confirmatio. Nam Ministri super baptisatos infantes, statim post verba Baptismi, manum imponunt, Deum precati, ut infanti, ubi succreverit, largiatur fidem salvificam, vitam Christiano dignam, & in utroque, finalem perseverantiam; à Sathana verò clementèr protegat. Vbi verò fidelium liberi, ad aliquem rationis usum, perveniant, orationem Domini-

Confirmatio non est sacramentũ.

Confirmatio apud Evangelicos qualis,

cam, Symbolum fidei, Decalogum, Doctrinam de Sacramentis, diligentèr docentur. Hæc ubi bene didicerint, ad usum Cænæ Domini admittendi, Ecclesiæ Dei sistuntur, pro quibus, tota Ecclesia, solennes preces, ad Deum fundit, ut eos in gremio Ecclesiæ, benignè fovere velit. Talis apud nos, Smigleci, confirmatio.

Extrema Vnctio non est Sacramētum.

Extrema, ut vocatis, unctio, fuit signum externum, doni sanationum, quod Deus Ecclesiæ ad tempus concesserat. *Marci 6.*[f] *Vngebant ægrotos, & sanabantur. Iacobi 5.*[g] *Vngant eos oleo in nomine Domini:* At hoc donum in Ecclesia cessavit, inutilis ergo externa vestra ceremonia; quæ quidem nihil habet commune cum illa, quæ fuit in Apostolica Ecclesia. Nam 1. Apostoli ungebant propter sanitatem corporalem; vos propter animæ salutem. 2. Apostolis non fuit extrema hæc unctio; quos enim ungebant, curabantur, ac ita denuò ungi poterant. Vobis verè, est extrema unctio; tales enim ungitis, quibus nulla spes recuperandæ valetudinis. 3. Apostoli promiscuè baptisatos, & non baptisatos ungebant, vos ungitis tales, qui reliquorum Sacramentorum participes facti sunt. 4. Apostoli ungebant oleo vulgari, vos consectato quod Episcopus primò exorcisat, deinde Spiritum Sanctum ei includit, tandem salutat: *Ave sanctum Oleum.* Recte id observavit Caietanus, qui ita scribit:[h] *Neque ex verbis, neque ex effectu verborum, verba hæc loquuntur de unctione extrema: sed de Vnctione quam instituit Dominus Marci 6. Quia non dixit, Infirmatur quis ad mortem? Sed absolutè, Infirmatur quis? Et effectum docet, Infirmi allevationem: & de remissione peccatorum, non nisi conditionalitèr loquitur, cùm extrema unctio, nonnisi articulo mortis detur, & directè, ut ejus forma sonat, tendit ad remissionem peccatorum.* Cassander etiam:[i] *Hæc,* inquit, *unctio olim non* (ut hodie fit) *ad extremum vitæ periculum & valetudinem jam deploratam, differebatur.*

f V: 13.
g V: 14.
Nihil habet commune cum Apostolorū unctione.
h Comm. in Iac. cap. 5.
i Lib. consult. Art. 7.

Duo tantum Sacramenta propriè dicta.

Evici invictis rationibus, Smigleci, nullum horum, de quibus nobis litem intendis, esse Sacramentum, propriè & univocè dictum. Restat ergo, ut duo tantùm Sacramenta propria, statuamus; Baptismum videlicet, & sacram Domini cænam. 1. Quia in hæc sola duo, omnes quinque supra positæ, propriè dicti sacramenti, proprietates cadunt. Hæc enim duo sola, à solo Christo, instituta sunt: sola habent externum visibile elementum: sola habent promissionem annexam, salutaris gratiæ: sola sunt, in Novo Testamento tantùm instituta; sola sunt pro tota Ecclesia instituta & in finem mundi celebranda. 2. Quia horum duorum tantùm Paulus meminit: *Omnes in Mose baptizati sunt* &c. *Omnes eandem escam spiritualem mandu-*

manducaverunt &c. Omnes eundem potum Spiritualem biberunt, 1. *Cor:* 10. *v:* 2, 3, 4. Denique, quia sola ista duo, de latere Christi in cruce profluxerunt, teste Beda ex Augustino, in Iohannis cap: 19.

Ad Augustinum responsio.

Quæ cùm sint verissima, tu tamen probare conaris, autoritate Augustini, quòd antiqua Ecclesia habuerit Sacramenta septem. Non septem, Smigleci, sed septemdecem, sacramenta habebis, si omnia erunt tibi sacramenta, quæ patres largâ significatione vocant Sacramenta: Erit enim tibi sacramentum *Lotio pedum*; quia Cyprianus ita eam appellat *serm: de Ablut: ped:* Item, *aqua benedicta*, quia eam ita vocat *Alexander primus Epist:* 1. Item, *panis benedictus*, apud Augustinum de peccatorum meritis & remissione *lib:* 2. *Cap:* 26. Item, *Signum crucis* apud eundem *lib:* 16. contra Faustum *cap:* 14. Quod itaque ipse affers, idem habeto responsum. Patres largè loquendo multa vocant Sacramenta, quæ propriè Sacramenta dici nequeunt, ubi verò strictè & proprie, de sacramentis loquuntur, duorum tantùm, Baptismi videlicet, & cænæ Domini, disertè meminerunt. Iustinus in utraque *Apologia*. Tertullianus *lib:* 1. & 4. contra Martionem. Ambrosius de iis qui initiantur. Sed cùm Augustinum contra nos produxeris, en verba ejus luculenta habes, [k] *Pauca*, inquit, *pro multis, eaque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima Sacramenta, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.* Item: [l] *Dominus noster Iesus Christus, Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit: sicut est Baptismus, Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis illius, & si quid aliud, in scripturis canonicis commendatur.* Qui sequuti sunt posterioribus temporibus Augustinum, à sententia ejus minimè deflexerunt. Ita enim Isidorus, [m] *sunt autem*, inquit, *Sacramenta Baptismus & Chrisma: corpus quoque & sanguinis Christi.* Paschasius *lib:* 6. *Sunt sacramenta Christi in Ecclesia Catholica, Baptismus, & corpus ac sanguis Domini.* Ante Lombardum, nullum dabis, Smigleci, qui Sacramenta numero Septem esse docuerit.

Patres largo modo plura vocant Sacramenta.

Strictè loquuti, duorum meminerunt.

k De Doctrina Christ: lib. 3. cap. 9.

l Epist. 118.

m Lib. 6. cap. 19. Etymologia.

De efficacia Sacramentorum.

A numero Sacramentorum, quem septenarium probare non potuisti, ad virtutem eorum delaberis, & dicis: *Virtutem sacramentorum ita extenuant Evangelici, ut, præter significationem, nihil Sacramentis, relinquant.* Dicis, sed non probas, Smigleci. Nos enim eam virtutem Sacramentis, tribuimus, quæ in hæc sacra sigilla, fidei nostræ cadere potest. Illis quidem salutarem gratiam Dei, tanquam medicinam pixidi, non includimus; attamen in legitimo Sacramentorum

torum usu, Deum ipsum, efficaciter salutem nostram operari credimus. In Baptismo enim verè Christum induimus, verè regeneramur, verè à sordibus peccatorum, purgamur. In cæna Domini etiam verè corpore Christi cibamur, & verè sanguine ipsius, in vitam æternam, potamur. Non elevamus itaq; efficatiam Sacramentorum, quæ quantacunq; est, tota à verbo Dei, ab institutione Christi, ab operatione invisibili Spiritus Sancti, pendet, teste Augustino, cujus tu verba eâ fide produxisti, quâ, Ananias & Saphira pecuniam, coram Apostolis deposuerunt: partem enim adduxisti, partem verò, eamq; potissimam, tibi reservasti. [n] *Unde*, inquit, *tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat?* Hæc tu citas. Hac verò potissimâ parte, Augustinum delumbas: *nisi faciente verbo. Non quia dicitur, sed quia creditur, nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.* Idem S. Pater alibi: [o] *Aliud est*, inquit, *aqua Sacramenti, aliud aqua, quæ significat Spiritum Dei: Aqua Sacramenti visibilis est, aqua spiritus invisibilis. Illa abluit corpus, & significat, quod fit in anima, per ipsum spiritum, ipsa anima mundatur & saginatur.* Probè tu nosti, Smigleci, quæ sit sententia, hac in parte nostra, quam ut odiosam redderes, significationis solius meministi, obsignationis verò, ne verbo quidem. Proindè ea, quibus Sacramentorum nostrorum præstantiam, extenuas, nullius sunt momenti. Nam quæ de Sacramentis in veteri lege affers, ea sunt nihili, cùm teste Augustino, *insignis fuêre diversa, in re paria*, inter quæ, & nostra, hoc etiam discriminis intercedit, quod illa significarent redemptionem futuram, nostra jam factam, & quod nostris verbum, clarius beneficium redemptionis explicans, adjunctum sit. Positâ itaq; nostrâ de virtute Sacramentorum, Orthodoxâ sententiâ, non tamen (quod tu vis) necessitas Sacramentorum perit: Nobis enim quærendum non est, an aliis modis, extra usum Sacramentorum, possimus significare, & obsignare in nobis, salutarem gratiam Dei; sed simpliciter faciendum, quod Christus præcepit, minimè dubitantibus, quin ea media sint efficacissima, quæ Christus ipse, in nostram salutem instituit.

Qua fide Smiglecius citat Patres.
Act. 5.
n Tract. 80. in Ioan.
o Tract. 6. in Ep. Ioan.
Tract. 26. in Ioann.
Differentia inter sacramenta veteris & Novi Testamenti.

Verùm, campum disputationis de utraq; specie ingressus, tibi ipsi ex persona antagnistarum objicis: *Ajunt Evangelici, sacerdotes Catholicos Sacramentorum dissipatores esse, quippe qui altera specie populum privent, contra Christi institutionem; mandatum, & exemplum.* Hæc nota, Smigleci, meritò vobis inuritur; estis enim non tantùm dissipatores; sed etiam sacrilegi divisores, & mutilatores tanti Sacramenti. Tale judicium de vobis tulerunt vestri summi Pontifices. Ita enim Gelasius: [p] *Comperimus*, inquit, *quòd quidam sumptâ tantùmmo-*

De Communione sub una specie.
Pontificii non tantùm dissipatores, sed etiam sacramentorum sacrilegi mutilatores, idque judicio Pontificum Rom.

tummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris, abstinet, qui, proculdubiò, quoniam nescio, quâ superstitione docentur astringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. *Quia Divisio unius, ejusdemq; Sacramenti, sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Similiter Leo: [q] *Hæretici*, inquit, *ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ, haurire declinant: quod ideò vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujusmodi homines, ex his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega dissimulatio, notati, à sanctorum societate, sacerdotali autoritate pellantur.* O tempora, ô mores, ô ingenia! Quod illis Pontificibus fuit sacrilegum & hæreticum, nunc Smiglecio sanctum, & Catholicissimum.

[p] *De consecrat. Dist. 2. Can. Comperimus.* N.B.

[q] *Serm: 4. Quadrages.*

Hîc verò Smigleci, merè tergiversaris; dicis enim, *vestram Ecclesiam ita dispensare Sacramenta, quemadmodum fert, mandatum, institutio, & exemplum Christi.* postea vi veritatis victus, fateris *Ecclesiam usam fuisse utraq; specie.* Quomodo ista cohærere possunt? Spiritusné S. erit talis Doctor, qui, quod primum docuerat, postea dedocuerit? An Ecclesia vestra melius à Spiritu S. edocta, quam illa, quæ fuit temporibus Apostolorum proxima, qui visibiliter & peculiari modo, Spiritum S. acceperunt? Rimam, quâ elabaris, quæris. *Vtebatur quidem*, inquis, *Ecclesia utrâq; specie; sed nunquam existimavit eam ad salutem omnibus & singulis necessariam: cum & totus Christus sit in una solâ specie, & vita æterna unam speciem sumentibus æquè promittatur, ac sumentibus utramq;.* Falleris, aut saltem fallere vis, vir doctissime; Vetus enim Ecclesia utramq; speciem, omnibus ad salutem esse necessariam, ita esse credidit, ut etiam infantibus propter consequendam vitam æternam tempore Augustini & Innocentii I. eandem porrexerit. Audi Cyprianum: [r] *Lex* inquit, *esum sanguinis prohibet: Evangelium præcipit, ut bibatur, bibimus autem de sanguine Christi, ipso jubente, vitæ æternæ, cum ipso, & per ipsum participes; & fatentes, nos, per peccati gustum, beatitudine privatos, & damnatos, nisi nos Christi clementia, ad societatem vitæ æternæ, suo sanguine reduxisset. Nobis itaq;, pro quibus sanguis Christi oblatus est in cruce, quos sacrificium hoc reconciliavit Deo ipse Christus pincerna porrexit hoc poculum.* Audi & Augustinum: [s] *A sanguine*, inquit, *sacrificii novi Testamenti in alimentum sumendo, non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum exhortantur omnes, quotquot volunt habere vitam.* An non falsi convictus es, Smigleci, à tantis duobus testibus? sed tibi fortassis frons facta est, quæ erubescere nesciat. *Dicis totum Christum esse sub unâ specie.* In quo proculdubiò principium petis: Quis enim concesserit tuam concomitantiam, idem qui Transubstantiationem.

Vetus Ecclesia utebatur utraque specie.

Eamque ad salutem necessariam credidit.

[r] *Serm. de Cæna Domini.*

[s] *In Quæst. super Levitic. cap. 57.*

Ier: 3. V: 3. Concomitantiæ figmentum.

 tionem.

tionem. Neutram probare potes, neutra igitur tibi concedi debet. Verba Christi Ioh:6. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me. Qui manducat panem hunc vivet in æternum, nihil tibi præsidii ferunt.* Non enim in hoc toto capite Christus ait de Eucharistia, sed de spirituali corporis sui per fidem sumptione, teste [t] *Nicolao Lyrano.* Quin hoc ipsum, ex verbis à te citatis, evinci potest. *Qui manducat me,* inquit Christus *vivet propter me.* Item. *Qui manducat panem hũc, vivet in æternum.* Multi manducantes Eucharistiam, ut Iudas, non tamen vivunt in æternum. Non igitur Eucharistia est talis panis, de quo Christus ait. Præterea Christus inquit: [u] *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* At Eucharistia de cælo non descendit, sed longo post tempore, in terra instituenda erat. Ergo Christus non agit de Eucharistia. His itaq; verbis mutilatio Eucharistiæ stabiliri nequit; quę si etiam de Sacramento agerent, utramq; tamen speciem, omnibus ad salutem necessariam, ex iis evinceremus. Ita enim disertè Christus: [x] *Nisi,* inquit, *manducaveritis carnem filii hominis, & Biberitis sanguinem ipsius, non habebitis vitam in vobis.* Quomodo ergo vestris Laicis vita æterna speranda erit, qui sanguinem Christi non bibunt? Nam, ex vestra sententia, populus vester, unam speciem sumens, comedit potius unà cum carne, (quemadmodum [y] cetus devorans Ionam) quàm bibit sanguinem Christi.

Quæ cùm sint longè verissima, dicere tamen audes: *Plus dant Catholici in una specie, quàm Evangelici in utraq;. Nam illi in una specie dant totum Christum, & in Christo vitam æternam: Isti verò in utraq; specie, neq; Christum, neq; vitam æternam.* Positâ unâ blasphemiâ, Smigleci, necesse est plures consequi, blasphemum enim cùm sit, totum Christum cum corpore, sanguine, anima, deitate, sub accidentibus panis detineri: ex eo aliud sequitur, quod dicis, sacerdotes in una specie dare Christum & vitam æternam: Nam [z] *Eucharistia,* teste Iræneo, *cùm constet re terrena & cælesti,* duos quoq; dispensatores habeat, necesse est; videlicet cælestem, & terrestrem. Cælestis dispensator Christus dat cælestia, corpus & sanguinem suum, totum se cum omnibus beneficiis suis. Terrestris, id est, Minister, dat terrestria: panem & vinum, benedicta symbola corporis & sanguinis Christi. Optimè id explicârunt Patres. Chrysostomus: [a] *Non sunt,* inquit, *humanæ virtutis, hæc opera, quæ tunc in illa cæna confecit, ipse nunc quoq; operatur, ipse perficit, Ministrorum nos ordinem tenemus, qui verò hæc sanctificat, & transmutat ipse est.* Item Augustinus: [b] *Sacramentum dant boni & mali: rem Sacramenti solus dat Dominus.* Et post illos Pa-

Verba Christi, Ioan: 6. explicantur.

t *In hunc locum*

u V:41.

Vtramque speciem evincunt.

x V:53.

y *Ioan:2. V:1.*

Sacerdotes non dant Christum.

z *Contra Hær. lib:4. cap: 34.*

Dispensatores duo.

a *In Mat: Hom: 83.*

b *Lib: 3. contra Cresconium.*

ios Paschasius:[e] *Sacramentum gratiæ dat Deus, etiam per malos: ipsam verò gratiam, non nisi per seipsum.*

Hæc cùm negari non possint, consequitur unam speciem administrantes, non Christum, non vitam æternam, sed judicium, sed æternum exitium, illos, populo credulo, dare. Idq; probatur evidentissimè: *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Communicantes una specie manducant indignè. Iudicium itaq; sibi in exitium sempiternum, sumunt.

Minor probatur ex Ambrosio. [e] *Indignus est*, inquit, *Domino, qui aliter mysterium celebrat, quàm à Christo traditum est. Non enim potest devotus esse, qui aliter præsumit, quàm datum est nobis ab autore.*

Communicantes sub una Specie præsumunt aliter accipere, quàm à Domino traditum est. Concluditur ergo illos non Christum, non vitam æternam, sed perpetuam ignominiam, & sempiternum exitium, sibi sumere.

Vides ergo, Smigleci, quàm miserè plebeculam decipiatis, dicentes; *Vos plus dare sub una Specie, quàm nos sub duabus.* Christum enim minimè datis: imo nec Sacramentum corporis ejus. Sacramentum enim verum, in legitimo usu tantùm. At una Species non usus sed potiùs est, ut vestri Pontifices dicunt, tanti Sacramenti sacrilega divisio, & dissimulatio. Non itaq; Sacramentum credulæ plebeculæ datis.

Quæ verò de utraq; Specie, quam à Christo institutam negare non potes, disputas, videlicet, *quomodo se habeat ratione Sacrificii, & quomodo ratione Sacramenti*, vestri cerebri commentum est. Supra enim probatum est: Christum non sacrificium propiciatorium, sed memoriam ejus instituisse, ad quam ritè celebrandam, quas ob causas, utraq; species necessariò requiratur, malo tibi verbis tuorum, quàm meis, exponere. Ita ergo Lombardus ex Ambrosio: [f] *Caro Christi*, inquit, *pro salute corporis, sanguis pro anima offertur. Si ergo in altera tantùm specie sumeretur, ad alterius tantùm, id est, animæ vel corporis, non utriusq; pariter tuitionem valere significaretur.* Post Lombardum, Thomas de Aquino: [g] *Traditur autem hoc Sacramentum sub duplici specie propter tria. 1. quidem propter ejus perfectionem, quia cùm sit Spiritualis refectio, debet habere Spiritualem cibum, & Spiritualem potum. Nam & corporalis refectio, non perficitur sine potu & cibo. 2. Propter ejus significationem. Est enim memoriale Dominicæ Passionis, per quam sanguis Christi fuit separatus à corpore, & ideò in hoc Sacramēto seorsum sumitur Sanguis à corpore.*

c De Cœna Domini cap: 35.

Vnam speciem dantes dant exitium.

d 1. Cor: 11. v: 29.

e In 1. Cor: 11. quæ verba habet etiam Beda in locum eundem.

Supra Gelasius & Leo, ita eam vocant.

Causæ sumptionis sub utraque specie.

f Lib: 4. dist: 11.

g In 1. Cor: 11. Lectione 5.

3. *Propter huius Sacramenti effectum salutarem. Valet enim ad salutem corporis, & ideo offertur corpus: & valet ad salutem animæ, & ideò offertur sanguis. Nam anima est in sanguine.* Nec debet contemni Durandus: [h] *Qui solam hostiam recipit non plenum sacramentaliter recipit Sacramentum. Etsi enim in hostia consecrata* (loquitur ex opinione quæ tum obtinuit) *Christi Sanguis est, non tamen illic est Sacramentaliter, eò, quòd panis corpus, & non sanguinem, & vinum sanguinem non corpus, significet.* Hic verò frontem in te desidero, scribente; *nullum præceptum Christi proferri posse, quo ad utramq; speciem sumendam astringamur.* Habes enim expressissimum mandatum Christi apud Evangelistas & Apostolos, quos tu inter se committis, & ut fucum lectoribus faciliùs facias, eos inter se tam infeliciter confers, ut apud Matthæum: *Hoc facite in mei commemorationem*, de sola specie panis absolutè dictum, legi dicas, quæ tamen verba in Matthæo non habentur. Ad Paulum, institutionem Christi referentem, respondendi expedita ratio. Quia enim de pane præcesserat vox perspicua: *Accipite, commedite;* non opus erat ejusdem verbi superfluâ repetitione, in verbis finem sumptionis declarantibus, *Hoc facite*, (comedentes) *in mei commemorationem.* Quia verò de poculo absolutè dixerat: *Hoc poculum est Novum Testamentum in sanguine meo:* usum poculi ut demonstraret, necessariò addidit, *Hoc facite quotiescunq; biberitis, in mei recordationem.* Cùm itaq; de utraq; Specie Apostolus agens, præceptũ Christi tàm de bibendo, quàm de comedendo expresserit: Sequitur Christum in uno eodemq; præcepto præcepisse duo; Alterum ut de pane benedicto edamus, caliceq; Sacro bibamus; alterum, ut edentes panem Sacrum, & poculum benedictum bibentes, faciamus id, in ipsius recordationem. Non itaq; liberum reliquit de poculo Sacro bibere vel non bibere.

h *Lib:4. cap:54 Rational: Div.*

Præceptum de Calice.

Lapsus Smiglecii

Duo Christus præcepit in uno eodemque præcepto.

Argumentum pro utraque specie.

His ita discussis, tale contra vos Argumentum emergit. Quicunq; tenentur mortem Christi commemorare, ii tenentur non tantùm panem Sacrum edere, sed etiam de poculo benedicto bibere. Ratio. Quia Christus inquit, *Hoc facite quotiescunq; biberitis in mei commemorationem.* At non soli Sacerdotes, sed & Laici fideles, tenentur mortem Christi commemorare. Tenentur igitur de poculo benedicto bibere.

Verba Christi, *Bibite ex hoc omnes*,

Verùm Ætyops factus, cùm pellem mutare nequeas, pari astu eludere conaris verba maximè perspicua. *Bibite ex hoc omnes*, quæ verba dicis, *nullam præcepti vim habere, sed esse invitantis & offerentis.* Apage istas ineptias, Smigleci, si enim tunc Christus Sacramentum in-

tum instituit, præceptiva sunt certè, non invitativa. Alioquin si ista essent invitativa, invitativa etiam erunt illa superiora, *Accipite, comedite*,&c. Idem enim Christus de pane dixit, *Accipite*, qui de poculo, *Bibite*. Quanta ergo absurda ex tam maledicta glossa,quę manifestè corrūpit textum,consequentur?Sequetur vestrāMissam rem indifferentem esse. Concludetur sumptionē etiam unius speciei in Laicis esse Adiaphoron. Quo loco ergo erit vestrum quotidianum propitiatorium Sacrificium, licitum celebrari vel non celebrari, ubi erit totus Christus, & vita æterna, in Sacramento à Laicis sumenda? En egregios Catholicos, qui ut mutilationem Sacramenti defendant, integrum aut inter Adiaphora relictum, aut pænitus, per summam audaciam, sublatum volunt. Hujus temerariæ audaciæ, non contemnendum specimen Smiglecius dedit, poculum legale, in verbis Christi: [i] *Accipite & dividite inter vos*, cum Sacramentali novæ legis conferens; innuere fortassis volebat, quòd quemadmodum illud in hac ipsa Cæna abrogatum est, ita hoc inter Adiaphora relictum videtur.

Non sunt invitativa, Sed præceptiva. Absurda ex elusione Smiglecii. 1. 2.

i Luc:22. v:17.

Risu verò, non refutatione dignum, quod scribis, *Christum ideò monuiße, Bibite omnes, ut non unus biberet*. Bonè Deus, ludis non sine jacturâ salutis, in re tam Sacrosancta. Quod ludibrium sumpsisti ex Maldonato Societatis vestræ, qui ita arroganter gloriatur: [k] *Quia Christus, calicem uni tradidit, ne videretur velle, ut is solus biberet: dixit, Bibite ex hoc omnes: Quod neminem, nostro præsertim tempore, animadvertere vidi.* Gaude Maldonate, eum enim sensum animadvertit tecum Smiglecius, quem ante vos nemo potuit, post vos verò, nemo sanæ mentis, admittere debet.

Risu explodendū commentum.

k Com: in istum locum.

Collatio verborum de pane & poculo, nihil te juvat, Smigleci, unus enim discipulus tam potuisset plures, vel etiam omnes confractas, panis Sacri particulas absumpsisse, quàm vinum è calice ebibisse. Longè ergo verior eorum sententia, qui dicunt, Christum, non sine gravi causa, de calice dixisse: *Bibite omnes*. Prævidebat enim vos Testamenti sui violatores, in hanc partem involuturos fuisse; addidit ergo universalem particulam *Omnes*: ne ejus fideles se decipi patiantur à vobis, qui è diametro Christo repugnatis: Ipse enim dicit, *Bibite omnes*. Vos verò: *Non omnes, sed soli uncti, & verticem derasi sacerdotes*. At rectè Basilius: [l] *Qui vetat*, inquit, *quod Deus præcepit, aut præcipit, quod Deus vetat, maledictus habeatur omnibus, qui amant Dominum.*

l Moral: Sum. cap. 14.

Ex tam evidenti igitur præcepto, ut tanquam lubrica anguilla elabaris, gradatione quadam uteris. *Quodsi*, inquis, *præceptum fuisse censea-*

censeatur, illud ad duodecim illas personas, quas tunc poculo suo Christus dignabatur, pertinebat. Erras, Smigleci. Illi enim duodecim, personam totiùs Ecclesiæ referebant: proindè rectè concludit Hieronymus: [m] *Cœna Domini omnibus debet esse communis, quia Christus omnibus, qui aderant, æqualiter divisit Sacramenta.* Si verò hæc tua Hypothesis vera esset, post Apostolos, celebratio hujus Sacramenti, nulli conveniret. Tendis per gradus, sed infra. *Si ad successores Apostolorum pertineat, illi non sunt omnes fideles, sed Sacerdotes.* Nec ista verba errore vacuâ. Ratione siquidem administrationis, soli sacerdotes, vel potiùs Ministri, successores sunt Apostolorum: at ratione participationis, omnes fideles, qui seipsos probare possunt, Apostolis successêre. [n] *Probet, seipsum homo & sic de pane illo edat, & de poculo bibat.* Rectè Paschasius. [o] *Christus est,* inquit, *qui frangit panem hunc, & per manus Ministrorum fidelibus porrigit: similiter & poculum porrigit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, id est, tam Ministri, quàm cæteri credentes.* Tua exceptio si valeret, Smigleci, non tantùm Laicis, præcipuè fæminis, quarum nulla institutioni interfuit, verùm etiam presbyteris, utramq; speciem Sacramenti, facilè erripere potestis. Ita enim scribit Bellarminus: [p] *In locum duodecim Apostolorum, successerunt Episcopi* In locum 70. *Discipulorum, successerunt presbyteri.* At nullus 70. discipulorum institutioni interfuit, nullus ergo presbyter Sacramentum celebrare potest.

Apostoli personã Ecclesiæ gerebant.

m *In 1. ad Cor: 11.*

Ratione sumptionis, omnes fideles Apostolorum successores.

n *1. Cor. 11. v: 28.*

o *De Cœna Domini cap: 15.*

p *Lib: 1. cap: 14. de Cler.*

In infimo gradu consistens, dicis, *Vel si ad omnes fideles, illud præceptum pertinet, ii bibere debent, quando à Christo vel eius Ministris calix fuerit oblatus.* Quasi verò, Smigleci, à libitu Ministrorum tantum beneficium pendere oporteat? Iure communionis, omnes fideles, ad sanguinem Christi pertinent, quemadmodum Christus pro omnibus sanguinem fudit, & omnes pro Christo, sanguinem fundere parati esse debent. Refutat te Cyprianus, ita apertè scribens: [q] *Quomodo docemus, aut provocamus eos in confessione Christi sanguinem suum fundere, si eis militaturis, Christi sanguinem denegamus: aut quomodo, ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos priùs, ad bibendum in Ecclesia, jure communionis,* (NOTA Smigleci) *admittimus?* Quidquid ergo beneficii populus fidelis habet, à Christo habet, non à Ministris. Qui quoniam sunt dispensatores, non sunt absoluti Domini Sacramentorum, ac ita dispensare debent, prout Dominus jubet, non ut ipsis placuerit. Sed cùm Dominus utramq; speciem fidelibus porrigi jubeat, utraq; igitur porrigenda est. Nam si verba, *Hoc facite,* ex parte ad Ministros pertinent, sensus erit in administratione hujus Sacramenti, *Hoc facite,* quod me fa-

Non ex beneficio sacerdotum, sed jure communionis, calix laiaorũ etiam est.

q *Lib: 1. Epist: 2.*

Argumentum pro utraque specie.

me facientem vidiſtis: Atqui me facientem vidiſtis, ut illis poculum darem, quibus panem benedictum dederam. Ergo & vos idem facite, quibus datis ſacrum panem, iisdem & poculum benedictum date.

Manifeſtè igitur falſum, quod ſcribis: *Nullo præcepto Chriſtus obligavit Apoſtolos, ut omninò offerrent aliis calicem bibendum, ſed id reliquit in eorum poteſtate.* Convincit te erroris Paulus: [r] *Ego*, inquit *accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Atqui utramq; ſpeciem tradiderat; utramq; igitur toti Eccleſiæ tradendam acceperat.

Chriſtus Apoſtolos præcepto obligavit ad dandũ calicem.

r 1. Cor: 11. v: 23.

Graves ſanè, ſi credere fas eſt, Gerſon recenſet cauſas, arcendi populi à calice, inter quas poſtrema, ſed minimè poſtrema: *Si populus utramq; ſpeciem ſumeret, par eßet autoritas populi cum clero.* Certè ratione ſumptionis, par eſſe debet judice venerandâ antiquitate. Ita enim præclarè Chryſoſtomus: [s] *Eſt autem, ubi nihil differt ſacerdos à ſubdito, ut quando fruendum eſt horrendis myſteriis. Similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Non ſicut in veteri fædere, partem quidem ſacerdotes comedebant, partem autem populus; & non licebat populo participem eſſe eorum, quorum particeps erat ſacerdos: ſed nunc non ſic, verùm omnibus unum corpus proponitur & poculum unum.* Et poſt ipſum Theophylactus: [t] *Tremendus calix pari conditione cunctis traditus eſt.*

Ratione ſumptionis par autoritas plebis cum Clero.

s In 2. Cor: cap. 12. Hom: 18.

t In 1. Cor: 11.

Eadem arte eludere vis locum apertiſſimum. *Hic calix eſt novum Teſtamentum in ſanguine meo*, ex quo contra vos ſic argumentabor. Quicunq; ad novum Teſtamentum pertinent, illi quoq; ad calicem pertineant, neceſſe eſt. Ratio quia Chriſtus dicit: *Hic calix eſt novum Teſtamentum.* Fideles populi, ad novum Teſtamentum pertinent. Ergo & ad Calicem pertineant, neceſſe eſt.

Argumentum pro utraque ſpecie.

Tu verò quid ad hæc? *Sanguis Chriſti*, inquis, *ad Teſtamentum ſpectat, quatenus pro nobis effunditur, non quatenus à nobis bibitur.* Erras, Smigleci, Opponis enim non opponenda. Imo conjungenda. Eatenus enim ſanguinem Chriſti bibimus, quatenus pro nobis effuſum in cruce credimus, ac ita Teſtamenti ipſius participes ſumus, tu verò ſomnias, bis Chriſtum ſanguinem fudiſſe, prima vice in cæna incruentè, altera in cruce cruentè; cùm Chriſtus, ſemel tantùm ſanguinem fuderit. Verba Chriſti nihil pro te faciunt, eſt enim in ipſis Enallage temporis, præſens, pro mox futuro, ponitur, veſtra etiam Vulgata in futuro legit. Fudit enim poſtea Chriſtus ſanguinem, ut Teſtamentum novum confirmaret, & ut credentes, ejuſdem fuſi ſanguinis, per fidem ſpiritualiter participes fierent.

Sanguis Chriſti quatenus bibitur

Effugium hoc cùm tibi malè ſuccedere videres, aliud quæris, & ad tu-

ad tuam Concomitantiam, tanquam ad sacrum asylum confugis. *Si bibendus est propterea sanguis Christi, sufficienter bibitur in una sola specie, cùm in ea, totus Christus sumitur, cum corpore & sanguine; non enim exanguis caro sumitur* &c. Falsum est, Smigleci, sub una specie esse totum Christum, cum corpore, sanguine, anima, deitate. Christus enim non dixit; Hoc est corpus, sanguis, anima, deitas mea: sed, *Hoc est corpus meum*. Veneranda canicies patrum, vestram Concomitantiam, non credidit. Si enim credidisset, An Gelasius Pontifex, communionem sub una specie, divisionem Sacramenti, non sine grandi sacrilegio? an Leo Papa talem cõmunionem, sacrilegam dissimulationem, vocare ausus fuisset? Adde. Si Iulius Pontifex damnavit eos, qui pro complemento communionis, intinctam tradebant Eucharistiam populo, multò magis siccam tradentes, damnâsset. Lege & expende edictum ejus. [u] *Quod pro complemento communionis, intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium acceperunt, ubi Christus Apostolis corpus suum commendavit & sanguinem: Seorsim enim panis, & seorsim calicis, commendatio commendatur.* Et si Cyprianus [x] *contra aquarios, qui non quidem speciem alteram tollebant*, sed *tantùm elementum immutabant*, ita insurrexit: certè multò magis insurrexisset in eos, qui calicem populo ereptum volunt. Quod itaq; tanti Pontifices, & tantus martyr, non crediderunt, fidelibus credendum obtrudere non potes.

Concomitantia refellitur.

Antiquitas Concomitantiam non credidit.

[u] *Ad Episcopos Ægypti & citatur de Censecr. Dist: 2. Can: Cũ omne.*

[x] *Lib: 2. Epist. 3.*

Addis deniq; (ne quid cumulo strropharum desit.) *Non minus confirmatum eße novum Testamentum corpore Christi pro nobis oblato, quàm sanguine pro nobis effuso: verum enim est quod dicit Paulus: Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Quare æquè efficimur participes novi Testamenti, sumendo corpus, sicut sumendo sanguinem.* Si ista conjunctim; Smigleci, sumis, verum est Christum tam corpore, quàm sanguine, Testamentum novum confirmasse. Sanguis enim, in confirmationem Testamenti fusus, de corpore oblato, profluxit: oblatio etiam corporis Christi, sine effusione sanguinis non fuit: sed cùm conjungenda dividas, & sibi invicem opponas, in eo, & ipse erras, & tuos in errorem præcipites agis. Si itaq; participes esse volumus novi Testamenti, ex mandato Christi, cui nostras ratiunculas submittere debemus, non tantùm corpus ejus edere, sed etiam sanguinem de poculo bibere, tenemur. Nam de poculo benedictionis peculiariter Christus: *Hic Calix est novum Testamentum in sanguine meo.* Quare à veritate aberras, affirmans; *eum, qui sumit unam speciem, sumere inscriptum jus novi Testamenti, & vitam æternam.* Nam ita communicantes, ut suprà ex D. Paulo, Ambrosio,

brosio, Anselmo probatum est, sumunt sibi judicium & perpetuum exitium. Sed in gratiam tui, viri celeberrimi, hanc ratiunculam ascribere minimè piget.

Ratio contra unam speciem cœnæ Domini.

Christus instituens Sacramentum Eucharistiæ, sub duabus speciebus, aut duo Sacramenta seorsim instituit, aut unum integrum sub duabus speciebus. Si duo seorsim instituit, habetis ergo Sacramenta octo. Si unum integrum sub utraq; specie. Ergo hoc Sacramentum altera parte tantùm sumptum, non est integrum sed mutilum. Præterea: y *Si, qui humanum testamentum superordinat*, omnibus bonis, est execrandus, multò magis qui violat Testamentum Christi. Vos violastis, idq; morte confirmatum, quia mutilastis. Quid ergo vos maneat, utinam, dum misericordiæ locus, videre possitis.

y *Gal: 3. v: 15.*

Quandoquidem igitur, Smigleci, septenarium numerum Sacramentorum probare non potueris, ego verò immotis Argumentis duo tantùm Sacramenta, propriè dicta, evicerim, vosq; cœnæ Domini mutilatores testimonio summorum Pontificum, ostenderim; concluditur, quod vestro proprio, vobisq; solis competenti nomine, Ministros Evangelii dissipatores Sacramentorum appellaveris.

Ad septimam Demonstrationem & Caput undecimum responsio.

Ministri veri sunt Ecclesiæ Catholicæ Ministri.
Ministri Evangelici, non sunt Ecclesiæ Catholicæ Ministri. Ergo;
Non sunt veri Ministri.

Majorem, Smigleci, etsi libenter concedimus, ea tamen, quæ illustrandæ ipsius ergò proponis, cautè admittenda judicamus. *Dicis itaque Ministros Christi, esse quoque Ecclesiæ Ministros: quia Ministri sponsi, debent esse Ministri sponsæ.* Ita quidem est, Smigleci, sed non pari ratione. Ministri enim sunt Christi Ministri, ut capitis & sponsi. Ecclesiæ verò; ut corporis & sponsæ. Quemadmodum autem ipsum corpus, à capite regi, & sponsa, à voce unius sponsi pendere, debet: sic multò magis. Ministri Ecclesiæ, non arbitrio sponsæ, sed unicæ voluntati Sponsi inniti tenentur, quippè cum ex arbitrio sponsi, sponsæ ministrare obligati sint. Sponsus enim Christus posuit

Ministri quomodo Christi, & quomodo Ecclesiæ Ministri.

z Ephes:4. v:11, 12.

[z] *posuit Episcopos regere Ecclesiam,&c.* Quæ itaq; in laudem Ecclæsiæ debuccinas, ea non sine accuratiore censurâ, concedenda tibi sunt. Confundis enim ea, quæ dicta sunt de electorum Ecclesia, cum iis, quæ particularibus Ecclesiis conveniunt; idq; non ut autoritatem Catholicæ Ecclesiæ tuearis, sed ut Romanam, quæ particularis est, in cælum laudibus evehas, & simplicioribus imponas: qui ut cautiores reddantur, ea, quæ tu confundis, in ordinem redigemus.

a Locus Matth. 18.

Authoritatem Ecclesiæ probaturus profers locum. [a] *Qui Ecclesiam non audierit, sit sicut Ethnicus & publicanus.* Ad quem, responsum tibi suprà, Christum ibi non agere, de universali Ecclesia, & dogmatib9 fidei, sed de disciplina Ecclesiastica, in omni cętu particulari exercẽdâ. Malè itaq; loc9 torquetur, à disciplina, ad dogmata, à particulari Senatu Ecclesiastico, ad universalem Ecclesiam. Quid enim mirum? si Christus fideles, inter se contendentes, ad fideles ableget, si quidem tunc, præter Ecclesiasticum, fidelis magistratus nullus extiterit. De *clavibus regni cælorum, potestate videlicet ligandi & solvendi*, superius plus satis. Verba verò Augustini, quibus *protulit omnem potestatem sponsi, tenere sponsam Ecclesiam*, limitatè sunt accipienda: videlicet eam potestatem, quæ sponsæ à sponso conferri potuit: Nullus enim prudens Sponsus est tam excors, ut sibi nihil juris ac dominii, suprà sponsam reservatum velit. Præsentiam verò sui, & Spiritus S., Ecclesiæ Christus conditionaliter promisit, nimirum, si ea docuerint Ministri, quæ Christus præcepit. Ita enim disertè inquit: [b] *Docentes eos servare omnia, quæcunq; mandavi vobis, & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consumationem seculi.* Malè itaq; colligis, necessarium esse, Ministros omnem suam potestatem ab Ecclesia accipere, cùm penes eam sit omnis potestas, ad vitam æternam consequendam. Ista enim Ecclesiæ potestas limitata est, non absoluta, ratione nimirum, ut ipse fateris, administrandorum Sacramentorum, prædicationis verbi divini, & docendæ veritatis, quæ Ministri, officium ab Ecclesia nacti, forinsecùs quidem exequuntur, at ipse Deus internè per Spiritum suum in corda fidelium agit. Hinc Paulus: [c] *Ego*, inquit, *plantavi, Apollo rigavit, Deus dedit incrementum.* Et post eum Augustinus: [d] *Quantum ad nos attinet forinsecùs omnibus loquimur, sed quibus unctio intùs non loquitur, indocti abeunt: Cathedram in cælo tenet, qui corda docet.*

b Matth: 28. v: ultimo.
Conditionaliter Christus præsentiam sui pollicetur.

c 1. Cor. 3. v: 6.

d Tract. 3. in Epist. Ioannis.

Hæc cùm tibi optimè sint cognita, tamen, ut nutriculæ tuæ palperis, scribendo pergis. *Voluit nos esse Dominus securos, si ab Ecclesia*

clesia pendeamus, &c. Non ab Ecclesia, Smigleci, sed à verbo suo, & nos, & Ecclesiam pendere jussit. Ita enim expressè inquit, [e] *Ad legem & ad testimonia*, &c. Christus verò: [f] *Si manseritis*, inquit, *in sermone meo, verè discipuli mei eritis*. Allegas locum: [g] *Portæ inferorum non prævalebunt adversus eam*: quod cùm sit de universali electorum Ecclesia dictum, frustrà ad tuam Romanam trahis. Addis: [h] *Ut potè quæ sit columna & firmamentum veritatis*. quæ verba prolata sunt de Ephesina Ecclesia, contra quam ita prævaluerunt portæ inferorum, ut penitùs defecerit. Ita enim particulares Ecclesiæ sunt columnæ veritatis, ut potius à veritate sustententur. Subjicis: *Neque unquam deseret sponsam suam Christus, neque desinit esse corporis sui caput*. Ita est, Smigleci. Sed vicissim verum est, quòd Ecclesia vera, quæ est sponsa, unico sponso contenta esse, & hoc corpus mysticum, ab unico capite regi, debet. At cum Romana Ecclesia, Christo sponso, minimè contenta, eidem thoro, alterum sponsum superinduxerit, ab alioque capite regi desideret: sponsa igitur & corpus Christi non est. Præclarè Cyprianus: [i] *Adulterari*, inquit, *non potest sponsa Christi, incorrupta & pudica est: unam domum novit, unius cubilis castitatem, sancto pudore custodit*. Quæ itaq; axiomata ex Patribus producis, ad Romanam Ecclesiam minimè spectant. Horum autem primum, *Extra Ecclesiam non est salus*, Pronunciatum longè verissimum, scilicet, extra universalem invisibilem electorum Ecclesiam, salutem nemini contingere posse: non extra Romanam, extra quam multi salvati sunt, & salvantur. Alterum. *Sacramenta extra Ecclesiam quandoque dantur, sed non prosunt*. Id quoque de Romana Ecclesia intelligi nequit. In Orientali enim Ecclesia, per multa secula, & data sunt sacramenta, & proderant, quæ tamen nunquam Pontificem Romanum pro capite Ecclesiæ agnovit. Tertium. *Non habet Deum in cælis patrem, qui non habet in terris Ecclesiam matrem*. Hoc quoque theorema verissimum, ad Romanam Ecclesiam minimè pertinens, ut potè cùm sit contra Stephanum, Romanum Papam, à Cypriano sanctissimo martyre, prolatum. [k] *Multa*, inquit, *Stephanus contra Ecclesiam Dei asserere conatur; At quomodo habere potest Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem?* Hoc itaque axiomate, Pontifex vester, cælo excluditur. Nam si non habet in terris Ecclesiã matrẽ, sponsam siquidẽ eam vocat. Ergò & in cælo patrem nequaquam habiturus. Si autem Ecclesia ipsi, & sponsa & mater, incestuosus ergo est, & majori se peccato obstringit, quàm

e *Esa: 8. v: 20.*
f *Ioan. 8. v: 31.*
g *Matth. 16.*
h *1. Tim. 3. v: 15.*
i *De unit. Eccl.*
Axiomata de Ecclesia. 1. 2. 3.
k *Epist: ad Pompeium.*
Pontifex cælo exclusus.

quàm ille Alexander, etiam Pontifex, cujus Lucretia tale consequuta Epitaphium.

Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri, filia, sponsa, nurus.

Minister quomodo Ecclesiæ membrum.

Iam verò Minorem tui sophismatis, in qua cardo totius controversiæ vertitur, probandam suscipis. *Minister*, inquis, *Ecclesiæ is esse non potest, qui non est ejus membrum.* Si de particulari Ecclesia ista intelligis, in qua externa doctrinæ professio, & usus sacramentorum spectatur, concedo Ministrum debere esse talis Ecclesiæ præcipuum membrum; sin verò de invisibili electorum Ecclesia, ista accipis, ejus quidem Minister, quâ homo reprobus, membrum esse nequit, attamen in particulari Ecclesia officium exercens, etiam electis, ratione doctrinæ, prodesse potest; Deus enim est tam potens & sapiens, ut etiam per instrumenta mala, quòad voluerit, bona in Ecclesia operari queat, quemadmodum per Iscariotem ad tempus, & aliquando per mercenarios, de quibus Augustinus: *Per mercenarios*, inquit, *audi vocem pastoris, & noli esse mercenarius.* Vt enim bonus paterfamilias per canales ligneos in hortum aquas derivat, ipsis quidem canalibus putrescentibus, horto tamen aspersione aquæ irrigato; ita Deus aliquando per vitæ malæ Ministros, Ecclesiam fonte verbi sui irrigat, illis propriâ voce seipsos condemnantibus: l *In Cathedra Mosis sedent*, Christus inquit, *quodcunque dixerint vobis facite, sed secundùm opera ipsorum nolite facere.* Addis: *Quare, qui se ab Ecclesiæ corpore separant, & ecclesiam non agnoscunt, Ministri ecclesiæ esse non possunt.* Non nego, Smigleci, illos Ecclesiæ Ministros minimè dici debere, qui se à vera Ecclesia separant, sed qui cum ea Ecclesia, quæ Christo jam pridem nuncium remisit, divortium faciunt, illi purioris Ecclesiæ Ministri legitimi esse possunt, quilibet enim fidelium tenetur se à tali Ecclesia separare, ita suadente Ambrosio: m *Si qua est Ecclesia, quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidiæ possit aspergere, deserenda est.*

Simile.

l Matth: 23. v: 2.

m Lib: 6. in Luc.

His ita frustra positis, tamen cominùs nobiscum manus conseris, *Tales sunt*, inquis, *Ministri Evangelici.* Quid ita Smigleci? *Quia*, ais, *eam Ecclesiam, quæ ab Apostolis ad hæc usque tempora habita est Ecclesia Christi, & præter quam nulla alia erat Ecclesia, neque agnoscunt, neque ad eam pertinere volunt.* Bona verba, Smigleci, quæso; quis enim tibi concedat, eam Ecclesiam ab Apostolorum tempore viguisse, quæ nunc cupit dominari orbi? Nullus, sanæ mentis. Nam quantum cælum à terra, tantum illa purior, à vestra distat. Si enim

enim unicum de sacrosancta Trinitate (cujus tamen honorem, cum creaturis communicastis) articulum exceperis, nihil ferè cum Apostolica Ecclesia, in fide commune habetis. Quis dabit solam Romanam, ad hæc usque tempora, pro vera Ecclesia habitam esse? Quo loco erit ergo Ecclesia Orientalis, à qua tamen ad Occidentalem, tanquam à matre ad filiam, lux illa dimanavit? [n] *Ex Sion enim egredietur lex.* Tu tamen nobis arrogantèr insultas. *Malunt*, inquis, *ad Ecclesiam à Luthero & Calvino demonstratam, prioribus seculis Christianitati invisam, & inauditam, pertinere:* Non veritas, sed livor, ista tibi verba extorsit, Smigleci, Lutherus enim nullius novæ Ecclesiæ, dux & index extitit, sed veteris veræ, ab Apostolis fundatæ, per Antichristi autem tyrannidem ad latebras & angustias redactæ, ipsius & aliorum operâ, reliquias Deus in lucem eduxit, Nam cùm fides, quam nostræ Ecclesiæ profitentur, sit una & eadem cum fide, quam Apostoli in orbe plantaverunt, una ergo, propter hanc consanguinitatem doctrinæ, & Ecclesia. Præclarè Tertullianus: [o] *Ecclesiæ*, inquit, *quæ licèt nullum ex Apostolis, vel Apostolicis authorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ deniq; quotidiè instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes non minùs Apostolicæ deputantur, pro consanguinitate doctrinæ.* Idem [p] *Constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus, & originalibus conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi & Dei.*

Nobis injustè condemnatis, in laudes tuorum evolas. *Sacerdotes*, inquis, *Catolici sunt ejus Ecclesiæ Ministri, quæ omnibus seculis habita est, in tota Christianitate, Ecclesia Christi, ad quam pertinuerunt, quotquot fuerunt Episcopi, martyres, Thaumaturgi, & omnes S. Dei homines.* Quot verba Smigleci, penè tot in tua assertione errores. Primus, isque gravissimus, quòd asseras Romanam Ecclesiam, omnibus seculis, in tota Christianitate, semper habitam esse pro vera Ecclesia. Ad tempora quidem Gregorii M. & non multo post, habita est pro vera Ecclesia, sed non sola. At ubi Bonifacius à Phoca parricida potiùs, quàm Imperatore, magno conatu vix obtinuit, ut Ecclesia Romana caput reliquarum diceretur, succedente tyrannide pontificiâ multis piis & cordatis viris, habita est, ut haberi debet, sedes Antichristi, Schola errorum, Templum Hæreseum, Babilonia falsa & nequam. Alter error, non levior, quod dicas, ad Romanam Ecclesiam pertinuisse, & cum ea communionem coluisse, quot-

[n] *Michea 4. v. 2.*

[o] *De Præscript. adversus Hær. cap: 22.* N.B.

[p] *De Præscript. advers. hæret. cap: 21.*

Errores Smiglecii. 1. Ecclesia Romana non semper habita pro vera.

Ita eam vocat Petrarcha. 2.

se, quotquot erant Episcopi, martyres, Thaumaturgi; Multi enim in Ecclesia Dei fuêre S. Episcopi & Martyres, qui tamen cum Ecclesia Romana, tunc temporis puriore, unionem minimè coluerunt, hodiernam tàm corruptam, proculdubiò ad inferos amandaturi. Iræneus fuit Episcopus & martyr: hic tamen Victori Episcopo Romano, Ecclesias Asiaticas, ob celebrationem Paschatis, à communione abscindenti, acritèr & acerbè restitit, teste *Eusebio lib: 5. Hist: cap: 23.* Cyprianus erat Episcopus & martyr, qui tamen Cornelio & Stephano, Romanis Pontificibus, liberè adversabatur, idque cum Concilio 80. Episcoporum, teste ipso Cypriano in Epistolis, & *Bellarmino lib: 2. de Conciliis cap: 5.* Athanasius fuit columna Ecclesiæ, hic tamen cum Liberio Pontifice Romano, qui in ejus condemnationem injustam subscripserat; unionem minimè coluit. Augustinus celeberrimus Episcopus, cum concilio Africano, in quo fuerunt 203 Patres, tribus Papis, Zozymo, Bonifacio, Calestino, restiterunt, decretoque suo caverunt, ne ex Africa Romam appellare liceat, testatur *liber Conciliorum de actis Concilii Africani.* Facilè verò concedo, vestros *Sacerdotes à potestate & judicio Ecclesiæ Romanæ totos dependere.* Iustum enim Dei judicium efficit, ut mendacio credant, qui veritati reluctantur; & ut jugum servile cervicibus trahant, qui dulce Christi, jam dudum excusserunt.

Sancti martyres non omnes cum Rom: Eccl communionem coluerunt. Iræneus. Cyprianus. Athanasius. Augustinus.

Porrò ut tibi de amplitudine Ecclesiæ declamitandi occasio detur, fingis Evangelicos ita respondere: *Ministros illorum esse Ministros Ecclesiæ, sed invisibilis cuiusdam, & soli Deo notæ.* Quid agis inter Iesuitas miles emerite? tyronis instar, te exercendo, ad palum pugnas, fingis enim ea nos respondere, quæ nullus unquam nostrum respondit. Sumus, Smigleci, Ministri aspectabiles, Ecclesiæ aspectabilis. Nam quilibet Ministrorum particulari Ecclesiæ, in qua visibilis pastor, visibiles oves regere debet, præficitur. Quemadmodum rectè Cyprianus: q *Cuilibet nostrûm,* inquit, *portio gregis ascripta est, quam regat unusquisque, rationem sui actus Domino redditurus.* Quarum Ecclesiarum sit licèt plenus mundus, Ecclesiam tamen electorum, quam tu, in Theologia turpiter hallucinatus, figmentum vocas, constanter credimus. Si enim Ecclesia est cætus electorum, qui fuerunt à constitutione mundi, qui nunc sunt, & qui futuri sunt, usque ad ultimum ante extremum judicium, talis autem cætus, ante adventum Christi, nulli visibilis. Sequitur Ecclesiam electorum esse invisibilem. Audi Gregorium: r *Conditor,* inquit, *noster habet vineam, universalem scilicet ecclesiam, quæ ab Abel justo, usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est,* *sanctos*

De invisibili Ecclesia.

q *Lib: 1. Epist: 3.*

Ecclesia invisibilis evincitur. 1.

r *In Evang: Homil: 19.*

sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Explicatiùs verò Augustinus: [f] *Corpus hujus capitis, Ecclesia est, non, quæ hoc loco est, sed quæ hoc loco & per totum orbem terrarum: nec illa, quæ hoc tempore, sed quæ ab ipso Abel, usque ad eos, qui nascituri sunt, usque ad finem*, &c. Deinde, Quod creditur non videtur: [t] *Fides enim est substantia rerum non apparentium.* At Ecclesiam credimus, ut in Symbolo confitemur. Non itaque sensibus externis patet. Præterea. Ecclesia est totum Theologicum quoddam, quod habet rationem Quãtitatis, & Continuæ, quia habet caput, & Discretæ, quia est grex. Tale autem totum in sensus non cadit, sed potiùs mente & fide comprehendi potest. Ecclesia itaque Catholica visibilis non est. Insuper, sanior philosophia te docuit: Vniversalia sensibus non percipi. At Ecclesia est Vniversalis; Catholica enim dicitur. Sensibus itaque non percipitur: nisi fortè sit aliquis Mænippus, cui sedes in globo Lunæ assignatur, qui omnes, uno intuitu, Ecclesias particulares in mundo videat, quod cùm nulli mortalium possibile sit, multò minus itaque Ecclesia Catholica visibilis est. Vt nos tamen erroris arguas, profers locum ex *Act: 20. Attendite vobis & universo gregi.* Quid tum, Smigleci? Alloquutus fuerat Paulus Episcopos Ecclesiæ particularis, & visibilis Ephesinæ. Instas, *Acquisita ecclesia sanguine Dei, est vera ecclesia. Talis fuit Ephesina. Ergo.* Quis negat veram fuisse? Ecclesia enim illa constabat electis & reprobis. Ratione electorum, dixit Paulus; acquisitam fuisse sanguine Christi; quia à potiori fit denominatio, ut acervus frumenti dicitur, licèt non sit sine paleis: dolium vini, non sine tamen admixtis fæcibus. Hocque responsi, ad tua quæsita, habe. *Qui fieri potest*, inquis, *ut Episcopi, oves invisibiles regant?* Ita fieri potest, Smigleci, In cætibus particularibus, est visibilis pastor, visibiles oves; inter oves, alii electi, alii reprobi; sed cùm charitatis Christianæ sit de omnibus, qui externè vocem Dei recipiunt, benè sperare, fidelis pastor, quantum in se est, omnium curam habet, soli verò Deo relinquit, inter reprobos & electos discrimen facere. [u] *Firmum enim stat fundamentum. Novit Dominus, qui sunt sui.*

[f] *In Psal. 90. Concione 2.*

2.

[t] *Heb: 11. v:1.*

3.

4.

Quomodo pastores visibiles invisibiles oves regant.

[u] *2.Tim:2.v:19.*

Porrò electorum invisibilis Ecclesia, à reprobis distincta, evincitur testimoniis Scripturæ, omni exceptione majoribus.

Testimonia sacræ Scripturæ pro invisibili electorũ Ecclesia.

Primus locus *Rom: 8. v: 30. Quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Hic locus de Ecclesia, in qua mixti sunt reprobi electis, intelligi nequit. Reprobi enim nunquam internè efficaciter vocantur, nunquam fide salvifica justificantur, nunquam coronâ vitæ 1.

glorificatur. Relinquitur ergo, ut sit aliquis cætus eorum, quos Deus efficaciter vocat, vocatos justificat, justificatos tandem glorificat, Ecclesia nempè prædestinatorum. Viderunt hoc collegæ tui, in hunc locum commentantes. Pererius: *Apostolus*, inquit, *hoc in loco, eleganti quadam gradatione probat; Nihil posse electis accidere, quod eorum intervertat & perdat salutem.* Toletus: *Prædestinatos Deus vocavit in tempore, vocatos justificavit, justificatos glorificavit, & ad regnum cæleste perduxit.*

2. Secundus locus ex *Ephes:5.v:7. Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet eam sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam,* &c. Et *v: 29. Nemo odit carnem suam, ut nec Christus Ecclesiam: quia membra sumus ex carne ejus, & os ex ossibus.* Hic etiam locus de Ecclesia mixta ex reprobis & electis intelligi non potest; talis enim Ecclesia non est absque ruga & macula. Christus autem membra damnanda inter sua minimè censet. Concluditur ergo, esse electorum Ecclesiam invisibilem, cui hæc elogia merè competere possunt. Benè Aquinas hunc in locum: *Ut exhiberet sponsam suam immaculatam, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam.*

3. Tertius locus ex *Matthæi 16. v:18. Portæ inferorum non prævalebunt adversus eam.* Id quoque de sola electorum Ecclesia intelligendum est. Rectè Caietanus: *adversus Ecclesiam, quæ constat ex congregatione fidelium, una fide, spe, & charitate.* Planius Ferus: *Non loquitur de Ecclesia, sicut communiter sumitur pro his, qui Christiani dicuntur, sive boni sint, sive mali: sed de Ecclesia secundùm spiritum, quæ solos electos complectitur.*

Utrque Comment: in hunc locum.

4. Quartus locus ex *Ioan:10. v:27. Oves meæ vocem meam audiunt,* &c. *Et non rapiet eas quisque de manu mea.* Reprobos Diabolus rapiet, quia non sunt in manu Christi, hic ergo locus de cætu, in quo electi reprobis mixti sunt, intelligi nequit, assentiente Toleto Commentario in eundem: *Est animadvertendum, quamvis generaliter sint oves Christi, qui in Christum credunt; tamen peculiariter hîc Christus loquitur de prædestinatis, atque electis, qui oves in æternum sunt futuræ.*

5. Quintus Locus ex *Apoc:13. ver: 8. Et adoraverunt Bestiam omnes, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ.* Hic etiam locus prædestinatorum Ecclesiam evincit, teste Rhibera, qui ita scribit, hunc in locum: *Quibus verbis ostenditur, Ecclesiam tempore Antichristi, constare tantùm ex prædestinatis.*

Patres pro invisibili Ecclesia.

Testimonia Scripturarum tam clara sequuti sunt Patres & de Eccle-

Ecclesia electorum Orthodoxè loquuti sunt. Ita enim Origenes: [x] *Templum Dei*, inquit, *ex lapidibus vivis ædificatur, ubi verus Israel: cum beatis sumus una civitas* &c. Cyprianus: [y] *Quid est sponsa Domini? nisi congregatio justorum.* Augustinus: [z] *Ecclesia est ovile Christi. Oves sunt, quas nemo rapiet, habent enim nomina scripta in libro vitæ.* Bernardus: [a] *Vinea Domini, est Ecclesia prædestinatorum.* Chrysostomus: [b] *Ecclesia est tentorium, quòd fixit Dominus & non homo, & è locis in alia loca migrat, fugit in persecutionibus à civitate in civitatem, sed non fugit à pietate, ad impietatem.* Tandē ad notas Ecclesiæ devenis, ostensurus, scilicet, nos ab Ecclesia catholica extorres esse. Inter alias insignem dicis Amplitudinem, seu per totum orbem Diffusionem, quam probare conaris hisce locis: [c] *Prædicabitur Evangelium hoc in universo orbe.* [d] *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* [e] *Repleta est terra scientia Domini.* [f] *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* [g] *Convertentur ad Dominum universi fines terræ.* &c. Ad hæc, & alia, quæ proferre poteras sexcenta, simplicissimè respondeo; quòd Spiritus S. hisce locis doceat, post adventum Messiæ, Ecclesiam, ut antea factum fuit, non esse terminandam finibus Iudeæ, sed per gentes dilatandam, & easdem complexuram esse; quod factum est prædicatione Evangelii per Apostolos, quorum ætati, Ecclesiæ tanta diffusio, ferè propria fuit. Cùm verò Ecclesia in eodem statu, posteà ob persequutiones, & hæreses permanere non potuerit, ad paucitatem credentium sæpius redigebatur; ac ita, amplitudo Ecclesiæ nota essentialis non est. Rectè autem hosce locos Augustinus contra Donatistas urgebat. Illi enim Ecclesiam, finibus solius Africæ, inclusam volebant, quod neutiquam nos facimus. Dicimus Ecclesiam nostram tam latè diffusam, quam vestra est, teste vel ipsa inquisitione vestra, licèt palam ei fidem profiteri, per vestram crudelitatem non liceat; nec dubitamus, quin aliquando in iis locis, in quibus vestra leonina feritas regnat, liberum pietatis exercitium, Dominus fidelibus suis sit concessurus.

x *In cap: Mat.* 16

y *Epist: 66.*

z *Tract: 45. in Ioan.*

a *Serm: 67, & 68. in Cant: Cantic:*

b *In Psal.14.*

De notis Ecclesiæ.

Amplitudo an sit nota.

c *Mat: 24. v: 14.*

d *Gen: 22.*

e *Esa: 11. v: 8.*

f *Psal: 2. v: 8.*

g *Psal: 21. v: 8.*

Iterum in Mornæum stylum stringis, eumque objicientem adoriris. Quid ergo objicit Mornæus? Ea, quæ tu nunquam solvere poteris. Nam primò ostendit, amplitudinem non esse essentialem notam, idque hac ratione: *Veræ & essentiales notæ, semper comitantur Ecclesiam. Amplitudo non semper comitatur Ecclesiam. Non est igitur vera & essentialis Ecclesiæ nota.* Minorem probat. *Quia ab initio, Ecclesia fuit pusilus grex: in fine verò credentium, paucitas tanta erit, ut filius hominis in mundo, vix poterit reperire fidem.* Secundò ostendit

Mornæus defenditur.

Ejus, contra amplitudinem, rationes.

1.

2.

dit, hanc notam non esse Ecclesiæ propriam; *quia in medio Ecclesiæ, gentiles Christianos, Ariani Orthodoxos, multitudine facile superârunt.* Quid respondes Mornæo, Smigleci? Aqua tibi hæret: Dicis enim *non tuam aßertionem de Ecclesia per totum orbem diffusam eße, sed Scripturarum.* Erras, scripturarum quidem assertio est; post adventum Messiæ, Ecclesiam per omnes gentes propagandam esse, quod factum est prædicatione Apostolorum; *piscatores enim,* ut inquit Chrysostomus, *inermes, & idiotæ, Christo mundum subegerunt.* Sed Scripturæ assertio non est; In tam amplo statu, Ecclesiam semper permansuram esse. Obstat enim, quod affert Mornæus, [h] *In secundo adventu Christi, fidem vix inventam iri, charitatem verò frigefactam fore.* Ex quibus contra te disputo. Fides & Charitas, sunt anima militantis Ecclesiæ. Si itaque fides vix reperiri poterit, charitas verò frigescet: certè sub finem mundi, Ecclesiæ status tam felix & amplus, ac tu dicis, esse non poterit.

h Mat:24.v:12.

Hæc cùm sint tam valida, tu tamen dicis: *Quæ adducit Mornæus nullius sunt momenti.* Quid ita Smigleci? *Non est,* inquis, *mirum Ecclesiam initio fuiße exiguam, Evangelio nondum publicato in toto mundo; at postquam in omnem terram exivit sonus Apostolorum, cæpit eße ab ortu Solis, usque ad occasum, laudabile nomen domini.* Benè est, Smigleci. Concedis initio prædicationis Ecclesiam exiguam fuisse: tunc ergo ampla non fuit, ac ita amplitudo essentialis nota Ecclesiæ non est. Nos etiam tibi libenter largimur, prædicatione Apostolorum per totum orbem diffusam fuisse. Sed quod affirmas, *semper postea in toto mundo eandem amplitudinem retinuisse,* id verò à veritate alienum est; Contrarium enim, (licèt tot emplastra, nullius efficatiæ, adhibita velis) docet status Ecclesiæ, Arianâ hæresi totum mundum inficiente. De hoc statu ita ipse Athanasius, non spectator, sed actor hujus comœdiæ.[k] *Quæ nunc,* inquit, *Ecclesia liberè Christum adorat? quippe si pia est, periculo subjacet; nam si alicubi sunt pii, sunt autem ubiq; permulti, illi, ut propheta Elias, in speluncas, & cavernas terræ sese abstrudunt.* Dic quæso, Smigleci, quæ claritas, quæ amplitudo Ecclesiæ esse poterat, piis in speluncis latentibus? De iisdem temporibus Hieronymus:[l] *Ingemuit totus orbis & se factum Arianum esse, miraratus est.* De iisdem Augustinus:[m] *Qui erant firmiores reliquis, pauci quidem in comparatione cæterorum, illi partim pro fide exulabant, partim toto orbe latitabant.* De iisdem queritur Basilius:[n] *Domus orationum conclusæ sunt, vacua sunt altaria spiritua-li cultu: non amplius cætus sunt Christianorum, non amplius Doctorum præsidentia, non dogmata salutaria.* De iisdem deniq; Hilarius:[o] *Vnũ*

Ecclesia ad angustias redacta sub Arianismo.

k Epist: ad olitariam vitam agentes.

l Contra Lucif:
m Epist: 48. ad Vincent.

n Epist:70.

o Lib: cont: Auxentium.

moneo;

moneo; Cavete Antichristum: malè enim vos parietum amor cæpit, malè Ecclesiã Dei, in tectis, ædificiisq; veneramini, malè sub his pacis nomen ingeritis. An ne ambiguum est, in his Antichristum esse sessurum? Montes mihi, & Sylvæ, & lacus, & carceres, & voragines, sunt tutiores: in his enim Prophetæ, aut manentes, aut demersi, Spiritu Dei prophetabant. Ne verò id aliquis de sola Mediolanensi Ecclesia accipiat, addit ipse Hilarius: *Rarum est apud Orientales, invenire Episcopum vel populum Catholicum.* At occidentales Ecclesiæ aliæ, ab hac peste Arriana fuerunt liberæ? Minimè; nam teste Costero: [p] *Arriana hæresis Romanum orbem pervagabatur.* Alphonsus verò de Castro sic scribit: *Ariana hæresis ab ortu solis, meridie videlicet, ab Ægypto veniens, per Græciam transivit in Aquilonem. Et inde Gotthi egressi, totum ferè occidentem infecerunt, quoniam illi Arianis maximè favebant.* Quid verò sedes Romana? an ab hac lue immunis fuit? Nequaquam; Nam ut scribit Lindanus: [q] *Ariani totas orientis Ecclesias, Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam, Hierosolymitanam expulsis Orthodoxis, occupant, atq; in occidente ejecto in exilium Liberio, Fœlicem in Romanam sedem substituunt.*

p *Tract: de Eccles: in Enchir. Sect: Postquam.*

q *Panopliæ libi 2. cap: 6.*

At tu Smigleci, huic inflicto vulneri quomodo mederis? Adhibes emplastrum, sed frustra. Dicis enim, *multos fuisse confessores & martyres.* Quid tum? Multi erant, sed in speluncis latentes, quos Ariani, & externa vi, & pluralitate longè superârunt. Vni enim Nicænæ Synodo, teste eodem Lyndano, decem & amplius opposuerunt.

Dicis postea. *Non multo tempore in eo statu Ecclesiam fuisse, siquidem extinctâ, hæresi redibat Ecclesia ad nitorem pristinum.* Falleris, Smigleci, nisi tempus trecentorum annorum, sit tibi breve. Ita enim scribit Alphonsus de Castro: [r] *Duravit autem hæc pestis per 300 annos, aut fortè amplius. Nam Hispaniam hoc morbo laborasse, tempore Gregorii Papæ, constat, ex ipso Gregorio Dialog: lib: 3. cap. 31.*

r *Hær: 5. Titulo de Hæresibus.*

Ad simile ergo tuum, per simile congruentius adaptatum, respondeo. Si in amplissimum regnum, hostes, impetu facto, legitimos magistratus deturbârint, milites strenuos in carcerem conjecerint, optimos quosq; cives, in exilium egerint, rerumq; summâ potiti, trecentos & amplius annos, per vim & nefas clavum regni tenuerint, certè de amplitudine, splendore, potentia, illius regni multum decederet: Idem factum per Arrianos in Ecclesia: multum itaq; de Amplitudine, claritate & splendore externo Ecclesiæ tùm decessit; ac ita Amplitudo nota Ecclesiæ inseparabilis non est.

Ad simile Smiglecii, respondetur per simile.

Hæc miserrima Ecclesiæ tempora, Patres eò adegerant, ut multitudine Ecclesiam metiri noluerint. Ita enim Nazianzenus: [s] *Vbi sunt,*

Patres multitudine Ecclesiam nolunt metiri.

s *In Serm: de seipso.*

sunt, inquit, *illi, qui Ecclesiam multitudine definiunt, & exiguum gregem aspernantur? Illi habent vulgus, nos fidem: Illi aurum & argentum, nos fidei doctrinam.* Item Chrysostomus. [t] *Quænam precor utilitas est, multum esse potius fœnum, quàm paucos preciosos lapides? non in numeri multitudine, sed in virtutis probitate, multitudo existit. Elias unus erat, sed totus mundus non erat dignus, qui appenderetur ipsi.* Nec prætereundus Augustinus: [u] *Noli inquit, attendere: Multi sunt, & quis numerat? Pauci per viam angustam incedunt. Profer stateram, appende; vide contra pauca grana, quantam paleam leves.* Iam quod Asiaticos Christianos attinet, qui vos numero facilè superant, respondes *non paucos habere inter se Orthodoxos.* Quid tum Smigleci? Si vos superant pluralitate fidem profitentium; sequirur, aut illorum Ecclesiam Catholicam Ecclesiam esse, aut amplitudinem Ecclesiæ notam, minimè dici debere.

t *Hom: 40. ad Pop: Antioch.*

u *In Psal. 39.*

Quid requiritur, ut Ecclesia dicatur Catholica.

Quæ cùm se ita habeant, correctione ergo quadam uteris, dicens: *Vt Ecclesia dicatur Catholica, nō requiritur, ut omnes in toto mundo homines recipiant fidem: sed satis est, ut fides Catholica in toto mundo prædicetur & recipiatur ab iis, quorum corda tetigerit Deus.* Rectè sanè, Smigleci. Cur ergo Ecclesiam nostram Catholicam negas? eò quòd actu, per totum mundum, ex tua opinione, diffusa non sit? Quæ tamen jam multa regna, provincias, insulas, civitates liberas (rumpantur ilia Bellarmino) occupavit. Faciet divina bonitas, ut omnes provinciæ Evangelii successivè fiant participes. [x] *Prædicabitur enim Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus, & tunc erit consummatio.* Porrò ut quidam de Cicerone dixit: Ciceronem ex Cicerone optimè posse refutari, ita dicere possum Smiglecium, ex ipso Smiglecio, de Amplitudine Ecclesiæ disputantem, nullo negotio erroris posse convinci. Nam si, ut scribis, Smigleci, *futurum est, ut veniente Antichristo Ecclesia cogatur & magis restringatur;* sequitur amplam non futuram. At si amplitudo ab Ecclesia separari poterit, amplitudo ergo Ecclesiæ non est perpetua nota. Vbi ergo tunc temporis erit claritas? ubi diffusio Ecclesiæ? Dicant Rhemenses vestri: [y] *Quemadmodum*, inquiunt, *Ecclesia nostra Romana hodierno die in Anglia se habet, ubi nullum regimen publicum obtinet, nulla officia sacra publicè exercet, dici potest in solitudinem abjisse, quanquam nec fidelibus, eam sequentibus, nec hostibus, eam persequentibus, ignota erit; ita tempore Antichristi futura est.* Loquatur & Pererius: [z] *Tempore*, inquit, *Antichristi, Sacramentum non erit in locis publicis, nec publicus ei honor adhibebitur, sed privatim & occultè asservabitur & honorabitur à Christianis*, Prodeat & dicat etiam aliquid

Præfatione Tomi 2. Disputationū.

x *Mat: 24. v. 14.*

Status Ecclesiæ sub Antichristo.

y *Annotat: in Cap: 12. Apocal.*

z *Comment: in Danielem. lib: 15. pag. 714.*

à Coſta: [a] *Tempore Antichriſti, omnis Eccleſiaſtici ordinis ſplendor, & decus exoletum, & ſepultum jacet. Sacerdotes gementes, portæ deſtructæ, altaria deſerta, ſacræ ædes vacuæ, quod non ſint, qui veniant ad agni ſolennitatem* Idem. [b] *Eccleſiarum ædes ſacræ erutæ, Lyturgia extincta, Pſalmorum cantatio nulla erit.* His ſupra inductis teſtibus, adjungamus Rhiberâ ita ſcribentem in verba: [c] *Admirata eſt tota terra beſtiam. Quibus verbis docet innunerabilem multitudinem eorum, qui Antichriſto adhærebunt, nimirum omnes præter ſolos prædeſtinatos.* Si itaq; tempore Antichriſti, maxima multitudo filium perditionis ſequetur, & ſi publica prædicatio verbi, & publicum religionis veræ exercitium, concidet (quod tamen jam factum erat ſub Romano Pontifice) amplitudo ergo, & externa claritas, Eccleſiæ Catholicæ nota perpetua eſſe non poteſt. Quare nullo medio, Smigleci, quod fidem facere poſſit, concludis, Evangelicos Miniſtros non eſſe veros, eò quòd non ſint ejus Eccleſiæ Miniſtri, quæ fuit ſemper, eſt, & erit, Catholica; cujus nomen eſt in Gentibus, & laus uſq; ad fines terræ. Miniſtri enim Evangelici, ſunt ejus Eccleſiæ miniſtri, quæ fuit, prædicatione Apoſtolorum, quorum fidem illi amplectuntur, per orbem ſparſa, poſtea Antichriſti tyrannide in anguſtias, redacta, tandem beneficio Chriſti conficientis Antichriſtum, ſpiritu oris ſui, in lucem educta, quæq; fuit, eſt, & ſemper Catholica erit. Rectè Cyrillus Hieroſolymitanus, vel quiſquis eſt autor Catheheſeum: [d] *Eccleſia*, inquit, *Catholica vocatur, quia docet Catholicè & perfectè omnia dogmata, quæ debent venire in cognitionem de rebus viſibilibus & inviſibilibus, cæleſtibus & terreſtribus.* Talis eſt Evangelicorum Eccleſia; docet enim doctrinam puram de Deo, & ejus operibus. Catholica itaq; jure dici debet.

a *Lib: 2. de Tempore noviſſimo, cap: 15.*

b *cap: ult.*

c *Comment: in Apocal.*

Miniſtri Evangelici cujus Eccleſiæ Miniſtri.

d *Cathe: illum. 18.*

His ita benè perſpectis, cùm videres, nos hac notâ nothâ minimè contentos forè, aliam proponis, dicens: *Ibi eſſe veram Eccleſiam, ubi eam ipſe Chriſtus ædificavit, nimirum in petra, cui dictum eſt;* [e] *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi, non prævalebunt adverſus eam.* Hic eſt Achilles omnium veſtrûm, quem contra nos in aciem producentes, turpiter claudicatis, vel potiùs, erratis. Veſtra enim hujus loci interpretatio, quâ Eccleſiam Catholicam ſuper Petrum & ſucceſſores ejus, ædificatam vultis, conſiſtere non poteſt, his concuſſa rationibus. 1. Quia pugnat cum expreſſis Spiritus S. verbis: [f] *Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, præter id, quod poſitum eſt, Chriſtus Ieſus.* 2. Quia non eſt analogos fidei. Eccleſia enim in fundamento ſuo ædificari nequit, niſi fide. At fides fidelium in Petro recumbere nequit: [g] *Maledictus*

Locus, *Tu es Petrus.*

e *Mat: 16. v: 18.*

Eccleſia non ædificata ſuper Petrum.

f *1. Cor: 3. v: 11.*

g *Ier: 17. v: 5.*

dictus enim, qui confidit in homine. Petrus ergo fidelium fundamentum esse non potest. 3. Quia in eodem fundatur Ecclesia, in quo crescit. Non crescit autem in Petro, crescit autem in solo Christo, dicente Paulo: [h] *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum Dei.* Solus ergo Christus, non verò Petrus, est fundamentum Ecclesiæ. 4. Quia si Petrus esset fundamentum, imbecille fundamentum Ecclesia haberet, & continuò laberetur, mox enim Petro Christus dixit: [i] *Vade post me Satana.* Meritò ergo, Smigleci, negamus Petrum dictum esse illam petram, super quam ædificata est Ecclesia, propter tam solidas rationes. Tu verò quid dicis? Ais, *Petrum à petra, non significatione sed terminatione differre.* De lingua Latina id dicere non potes, in qua Petrus, semper Proprium, petra verò est Appellativum. De Syriaca, tibi litem non moveo, illud tantùm urgeo. Quacunq; lingua loquutus est Christus, certè non sine gravi causa, Matthæus optimus Christi interpres, & persona, & genere distinxit Petrum à petra, nempè, ut sciamus, alium esse Petrum fundatũ super petram, & aliam petram, in qua ædificanda Ecclesia erat. Bezæ autem verba, non integrâ fide citas. Nam licèt concesserit Petrum & petram apud Græcos, non re, sed terminatione, differre; tamen ista adjicit: [k] *Sed videtur Matthæus hoc terminationis discrimine voluisse Petrum, ab ipsa petra, cui innititur ædificium, distinguere: ipsumq; adeò Petrum à fidei professione, quæ toti Ecclesiæ est communis, quod veteres etiam apertè testantur, ut planè sit ridiculus Antichristus, cùm ex hoc loco tyrannidem suam conatur stabilire.*

Hæc cùm te minimè lateant, dicis tamen; *turpissimè eos errare, qui Petrum, quasi petreum, denominativè à petra dictum interpretantur.* Quid ais Smigleci? mille sexcentorum annorum fidem jactas; celeberrimos tamen ejus fidei professores, per latus nostrum, confodis. Erravit ergo turpiter, te judice, Augustinus, qui ita scribit: [l] *Ecclesia fundata est super petram, unde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra, sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur.* Erravit turpiter præceptor ipsius Ambrosius, qui, [m] *Rectè igitur,* inquit, *quia Petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, ut qui cum Domino fidei societatem habebat, cum Domino haberet & nominis dominici unitatem, ut sicut à Christo Christianus dicitur, ita & à Petra Christo, Petrus vocaretur.* Erravit Hieronymus, qui ad eum modum loquitur: [n] *Super petram hanc fundavit Dominus Ecclesiam, ab hac petra Apostolus Petrus sortitus est nomen.* Erravit Basilius dicens. [o] *Christus revera petra inconcussibilis; Petrus verò propter petram.* Erravit summus Pontifex Gregorius ma-

Marginalia:
- h *Ephes: 2. v: 20.*
- i *v: 23.*
- Petra à Petro distincta.
- Bezæ verba.
- k *Annotat. in cap: Matth: 16.*
- Petrus à Petra.
- Smiglecius patres erroris arguit.
- l *Tract: 124. in Ioh: & de Verb. Dom: in Matth. Serm. 13.*
- m *Serm: 84.*
- n *in Mat: cap: 7.*
- o *Serm: de Pœnitent.*

us magnus: [p] *Christus est*, inquit, *Petra, à qua Petrus nomen accepit, & super quam se ædificaturum Ecclesiam dixit.* Iudicio itaq; tantorum Patrum, Petrus, à petra, dictus est. At cùm denominatum cum nomine, sive retineat terminationem, ut Sura apud Romanos, Hierax apud Græcos; sive mutet, ut à lente Lentulus, à faba Fabius, nunquam sit idem. Sequitur Petrum, à petra dictum, propriè loquendo, illam petram minime esse, super quam Christus ædificavit Ecclesiam suam. Sed audiamus loquentem Smiglecium. *Cùm diceret*, inquit, *Dominus Petro: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, excellentiam Petri singularem explicare voluit, non aliam sanè, nisi, quia in eo, tanquam in petra, esset ædificaturus Ecclesiam suam.* Semper tibi, Smigleci, excellentia personæ Petri, nunquam confessionis ab ipso factæ, præstantia, ob oculos versatur, ob quam tamen Petrus à Christo tale elogium tulit. Inducis nobis D. Leonem, divinè id explicantem: sed de Leone idem dici potest, quod eruditi de Hortensio. Hortensius eloquentiam in cælum laudibus vexit, ut ipse simul cum ea ascenderet; ita Leo prærogativas Petri summis laudibus extulit, ut ipse hæres illarum asscriberetur. Eæq; fuêre succedentium Pontificum artes, cathedram, & authoritatem Petri, ad sydera ferre, quò ipsis via ad dominium Ecclesiæ sterneretur. Quæ itaq; Smigleci, ex verbis: *Et ego dico tibi*, disseris, nullius sunt momenti. Ita enim personæ excellentia indicatur, ut major confessionis, ob quam in hæc verba Christus erupit, ratio semper haberetur.

[p] In explic: Psalm. 5.

Denominatum cum nomine nũquam potest esse idem.

Excellentia major confessionis, quàm personæ Petri.

Neque temerè, inquis, *illi Petri nomen indidit:* [q] *Tu vocaberis Cephas. Sed propter mysterium, quod tali nomine continebatur.* Christus, Smigleci, nihil egit temerè, istud ergo nominis Simoni temerè minimè imposuit. Vocavit ergo Simonem Petrum, eumque solum, quia is primus, & solus, omnium nomine, confessurus fuerat Petram, in qua ædificatur Ecclesia, dicens: *Tu es Christus filius Dei viventis.* Mutavit etiam Christus nomen Iacobi & Iohannis, vocans eos: Bòánerges, id est filios tonitrui. Vt ergo illi ad literam non fuerunt filii tonitrui, sed per quandam similitudinem: ita nec Cephas, propriè loquendo, est illa petra, super quam ædificatur Ecclesia.

[q] Ioan. 1. v. 14.

At tu quod proposuisti probare vis sequētib⁹ verbis, *Tibi dabo claves &c. Ergo Petrus est illa petra super quam ædificatur Ecclesia.* Nullum vinculum consequentiæ. Claves enim in Ecclesia non principatum, sed potestatem solvendi & ligandi peccata significant, quam licèt in persona solius Petri, Apostolis Christus promiserit, reipsa tamen omnibus æqualiter contulit dicens: *Accipite*

Non soli Petro datæ claves.

 Spiritum

Spiritum S., quorumcunque remiseritis peccata, remittentur eis &c. Rectè itaque Ferus & Lyranus scribunt: [r] *Nullus locus occurrit, ubi illud, Dabo, impletum fuit; nisi in his verbis Iohan:20. Quorumcunque remiseritis peccata.* Benè & Maldonatus in hæc verba: *Quodcunque ligaveris.* [s] *Quæ hic promissa sunt Petro, non illi solùm, sed omnibus etiam Apostolis, Episcopis, & sacerdotibus competunt.* Vnde Theophilactus: *Quamvis*, inquit, *soli Petro dictum sit: Dabo tibi claves; omnibus tamen Apostolis concessæ sunt. Quando? Cùm dixit: Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur. Etenim cùm dixit, Dabo, futurum tempus signat, hoc est post resurrectionem.* Et ante illos Origenes: [t] *An verò*, inquit, *soli Petro dantur claves regni cælorum, nec alius beatorum quisquam accepturus est? quod si dictum hoc, Dabo tibi claves, cæteris commune, cur non simul omnia communia? nam hîc & illud velut ad Petrum videtur dictum, Quæcunque ligaveris &c. Cæterùm in Evangelio Ioannis, Salvator dans Spiritum S. Discipulis ait: Accipite Spiritum S. quorumcunque remiseritis peccata &c.* Item Cyprianus, [u] *Christus*, inquit, *Apostolis omnibus, post resurrectionem suam, parem potestatem tribuit, & dicit: Sicut me misit pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritũ S. si cui remiseritis peccata, remittuntur ei.* Nec non Hieronymus, [x] *Cuncti Apostoli claves regni cælorũ accipiunt, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidatur.* Ex his itaque verbis, non evicisti; Petrum esse illam petram, super quam fundatur Ecclesia: Alioquin, quia omnes Apostoli acceperunt claves, omnes pari ratione tales petræ essent.

[r] *In cap: Mat: 16*
[s] *Comment. in cap: 16. Mat.*
In Mat: 16.
[t] *Tract: 1. in Matth:*
[u] *Tractatu de Vnitate Eccl.*
[x] *Contra Ioannem lib: 1. cap: 41.*

Tituli proprii solius Christi.

Sed ut maturè objectioni occurras, *verentur*, inquis, *Evangelici, ne si Petrus petra dicatur, Christo, qui in Scriptura petra dicitur, aliquod fiat præjudicium.* Certè, Smigleci, non sine gravi causa veremur. Isti enim tituli, Fundamentum, Caput, Sponsus Ecclesiæ, ita sunt solius Christi proprii, ut nulli Sanctorum sint communicabiles. Quid verò tu, Smigleci? *Esset*, inquis, *verendum, si Petrus, eo modo, quo Christus, petra diceretur: at dicitur longè inferiori modo.* Petis principium. Prius enim tibi probandum erat, Petrum esse petram, super quam ædificatur Ecclesia, postea explicandum, quomodo Petrus sit petra: at priori non probato, modum tamen commisceris. Verùm, non Entis, nulla affectio. Porrò commentum vestrum de fundamento primario & secundario: ex se, ex Christo, tollit Chrysostomus scribens: [y] *Fundamentum aliud, inquit Paulus, ponere nemo potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Super hoc igitur ædificemus & pro fundamento habeamus. Et nullum sit medium inter nos & Christum: Quod si medium aliquod intercederet, illud quàm*

Fundamentum secundarium tollitur.
[y] *In 1. Cor: Hom: 8.*

Iud quàm primùm aboleamus,&c. *Ipse caput, nos corpus. Numquid potest esse ulla media inter corpus & caput distantia?* Cum eoque Anselmus: [z] *Sic es Petrus à me petra, ut tamen mihi reservetur fundamenti dignitas: sed tu, cui ego, ut amatori & confessori meo, participium mei nominis dedi, super me fundamentum, mundos lapides ordinabis.* z In Mat: 16.

Quæ itaque de *Luce* & *Clavibus* affers, nullius sunt pretii. Nam primò probandum tibi fuit, Petrum dictum esse petram, super quam ædificanda erat Ecclesia; postea explicandum, quomodo Christus, quomodo autem Petrus, sit petra. Cùm verò prius non probaveris, frustrà commentum cerebri tui, locis dissimilibus de luce & clavibus, illustrare conaris. Illud enim disertè in scriptura habetur: Petrum verò esse petram, ex scripturis probare non potes. Locum tamen Matthæi contra nos urgens, dicis: *Hoc loco nomine petræ non posse Christum intelligi.* Cui credam? Smiglecio an Gregorio magno, venerabilique Bedæ? Malo veteribus fidem adhibere. Ita enim Gregorius scribit: [a] *In sacriloquio, quando in singulari numero fundamentum dicitur, quis alius, quàm Christus intelligitur? attestante Paulo: Petra erat Christus. Cùm verò in plurali, Petræ, dicitur, ejus membra intelliguntur, videlicet illi, qui ejus robore solidati sunt, cùm ipse Petrus dicit: Vos veri lapides estis.* Beda autem: [b] *Fundamenta*, inquit, *quando pluraliter ponuntur, Doctores significant: quando singulariter, doctorum Doctorem Christum Iesum.* At hìc in singulari dicitur: *Super hanc petram*, Christus ergo per petram intelligi debet. Ne autem scholam Ignatianam contempsisse videamur, audi ex ea Pererium, in illa verba: *Lapis sine manibus abscisus.* [c] *Christus*, inquit, *lapis dicitur, quia dæmonem sua morte percussit, & imperio, quod in homines habebat, spoliavit: deinde quia Christus est petra*, (citat locum in margine Matth: 16.) *super quam fundata est Ecclesia, ideoque nullo unquam tempore, nulla vi labefactari, aut everti poterit, quinimò nec portæ inferni prævalebunt adversus eam.*

Petra in singulari Christum denotat.
a Lib: 28. in Iob cap: 38.
1. Cor: 10.
1. Pet: 2.
b In Matth: 16.
c Comment: in Dan: 2.

Agè verò expendamus rationes, quibus probare conaris in hoc loco per petram Christum intelligi non posse. Quarum prima hæc est: *Pronomen hæc, vel ista, prænunciatam petram ostendit, & ad proximum antecedens refertur: Ergo Petrus intelligi debet, non Christus.* Respondeo, Smigleci, articulum non semper ad proximum antecedens, sed aliquando ad remotius referri. Observavit hoc vester Pererius, *Rom*: 5. *v*: 12. [d] *Per hominem peccatum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Apostolus*, inquit Pererius: *hæc tria verba nominavit, hominem, peccatum, mortem, quæ vox θάνατος, mors, apud Græcos est masculini generis.*

Rationes Smiglecii contra Christum, Ecclesiæ unicum fundamentum.
1. Articulus non semper ad primũ antecedens refertur.
d Com: in Rom: 5. Num: 41.

generis. Rectè *Augustinus, Refertur INQVO non ad mortem*, (quòd est antecedens proximum) *quamvis sit masculini generis: nec ad peccatum, quia apud Græcos* ἁμαρτια *est generis fæminini, sed ad antecedens remotius, primum hominem Adamum, in quo omnes fuerunt, quando peccavit, & eo peccante, omnes peccaße intelligimur.* Similis locus habetur Actorum 1. Ιησοῦς οὕτως ἐλεύσεται ὃν τρόπον ἐθεάσασθαι αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανον, id est: *Ita ille Iesus veniet, quomodo aspexistis illum ascendentem in cælum.* Vbi τὸν illum, non ad proximum antecedens τρόπον, id est, modum, sed ad remotius, τὸ Ιησοῦς, refertur. Pari ratione in verbis Christi, articulus, super hanc, non ad proximum Antecedens, in Syriaco; (in Latino enim, & in Græco articulus fæminini generis, ad antecedens masculinum pertinere nequit) sed ad remotius referri debet, ut sit sensus, *Super hanc petram*, id est, quam tibi revelavit pater, quam cognovisti, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Quod ne ex cerebro nostro recens natum tibi videatur. En habes testimonia antiquitatis.

Super Christum ædificatur Ecclesia.

Chrysostomus: [e] *Ergo*, inquit, *Christum Iesum glorificemus, murum inexpugnabilem & fundamentum: ipse enim dicit Petro, Tu es Petrus*, &c. Hilarius [f] *Vna hæc est fidei petra immobilis, Petri ore confeßa, cùm dixit: Tu es filius Dei viventis.* Augustinus: [g] *Super hanc petram*, &c. *id est, super hanc petram, quam confessus es, quam cognovisti, dicens: Tu es Christus filius Dei vivi: super hanc ædificabo Ecclesiam meam; super me ædificabo te, non me super te.* Theodoretus: [h] *Hoc fundamentum jecit Petrus, vel potiùs ipse Dominus: cùm enim dixisset Petrus, Tu es Christus &c. dixit Dominus: Super hanc petram &c. Ne vos igitur denominate ab hominibus; Christus enim est fundamentum: ac si dicat: Non est aliud fundamentum, quàm Petra illa, quam Petrus in fundamentum posuit, cùm diceret, Tu es Christus.* Eusebius Emissenus: [i] *Non est aliud fundamentum, nisi illa petra, quam Petrus posuit in fundamentum.* Beda: [k] *Methaphoricè ei dicitur, super hanc petram, id est, salvatorem, quem confessus es, ædificatur Ecclesia.* Nicolaus Lyra: *Super hanc petram, quam confeßus es, id est, super Christum.* Glossa etiam interlinearis, *petram, id est, Christum in quem credis.*

e *Hom: de Cruce Domini.*

f *Lib: 2. de Trinit.*

g *De Verb: Dom Serm: in Mat: 13.*

h *In 1. Cor: cap: 3.*

i *Hom: in Natali S. Petri.*

k *In Mat: 16.*

Altera tua ratio. *Non compensatur confessio Petri, si Christus supra se ædificat Ecclesiam.* Quasi verò, Smigleci, Christus compensans Petro confessionem, teneatur illi largiri, quod ipsi soli convenit. Rectè Basilius: [l] *Largitur Iesus Petro suas dignitates, & non evacuatur, sed habens dat.* An non satis confessio compensata Petro, quod ob illam beatus dictus sit? *Beatus es Simon Bar-Iona.* Nonné

l *Serm: de Pænitent.*

Petro compensa confessio.

ſatis præmii confeſſori Chriſti, ob agnitum Chriſtum, quem confitetur, beatum eſſe? *Hæc eſt*, inquit,[m] *Chriſtus, vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Scitè ergo Hilarius: [n] *Filium Dei*, inquit, *confeßus, ob hoc beatus eſt. Hæc revelatio patris eſt, hoc Eccleſiæ fundamentum, hæc ſecuritas æternitatis eſt.*

m *Ioan:17. v:3.*
n *Lib:6. de Trinit.*

3\. Tertia tua ratio. *Si dixiſſet, Ego ſum petra, & ſuper hanc petram ædificabo &c. Facilè intelligeremus de ſeipſo loquutum.* Non eſt noſtrum, Smigleci, præſcribere Chriſto, qua ratione loqui debuerit. Noſtrum eſt agnoſcere, quod ita loquutus ſit, ut oſtenderet, non Petrum, ſed ſeipſum eſſe petram, ſuper quam ædificaturus erat, & Petrum, & Eccleſiam, quod tibi ex patribus comprobatum eſt.

4\. Quarta tua ratio. *Loquitur de ea petra, in qua nondum ædificaverat Eccleſiam, ſed ædificaturus erat. At in ſe ipſo jam ædificaverat Eccleſiam; Non ergo de ſe ipſo loquitur.* Erras, Smigleci; Cùm enim ſit unicum Eccleſiæ fundamentum, de eadem petra loquitur in qua jam multos ædificaverat. Vtitur autem in futuro voce *Ædificabo*, tum ut continuationem ædificandi ſignificet, tum quia Eccleſiam in Novo Teſtamento peculiari modo ædificaturus eſſet. Nempe quia futurus erat, *Lapis Angularis, conjungens duos parietes, Iudæos videlicet & gentiles.* Rectè Ianſenius:[o] *Chriſtus*, inquit, *deſcribitur petra & Lapis Angularis, ut parietes duos conjungeret, Iudæos ac gentiles, conjunctosq; retineret, ut Petrus docet.* Nec non Maldonatus, in locum Ioan: 12. *Poſtquam exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum. Græcè*, inquit, *πάντας, omnes, ut rectè Chryſoſtomus, Theophilactus, Cyrillus, Leontius, omnes dixiße, ut Iudæos & gentiles ſignificaret.*

Cur Chriſtus dixit, Ædificabo.
o *Concord: capi 114.*

5\. Quinta tua ratio *à clavibus*, ad quam tibi ſuperius reſponſum. Si enim Chriſtus conferens poteſtatem ligandi & ſolvendi, Petro nihil peculiare contulit; Sequitur & hîc, nihil tale, quod tu vis, contuliſſe. Cùm verò ſplene abundes, Smigleci, rides explicationem hujus loci quorundam, qui dicunt, *Super hanc, quam confeſſus es*, &c. Quinám autem ſunt illi, quos ludibrio exponis? Antiquæ ætatis & fidei Patres. Ita enim exponit Hilarius *lib: 2. de Trinit:* Auguſtinus *de verbis Domini ſecundùm Matthæum Serm:* 13. *& lib: Retract:* 1. *cap:* 21. Euſebius Emiſſenus *Hom: in Natal: S. Petri*, & alii, quorum teſtimonia ſupra poſita habes.

Smiglecius Patres ludibrio exponit.

Poſtea dicis *ineptè & alios interpretari petram, Fidem.* Patres ergo, Smigleci, te judice, inepti erunt interpretes. Chryſoſtomus: [p] *Super hanc petram*, inquit, *ædificabo Eccleſiam meam, id eſt, fidem atque confeſſionem.* Idem.[q] *Chriſtus ædificavit Eccleſiam ſupra petram, id eſt ſupra fortitudinem fidei.* [r] Euſebius Emiſſenus, *Super hanc petram,*

Eosdem vocat ineptos.
Petra fides.
p *Hom: 55. in Mat.*
q *Hom: 20. in Mat: oper: imp.*

tram, quam tu modo in fidei fundamentum posuisti: super hanc fidem, quam tu modo docuisti &c. ædificabo Ecclesiam meam. Cyrillus Alexandrinus:[s] *Petram, opinor, per agnominationem, nihil aliud, quàm inconcussam & firmissimam discipuli fidem, vocavit, in qua Ecclesia Christi fundata est.* Ambrosius:[t] *Super istam petram ædificabo Ecclesiam, hoc est, in hac Catholicæ fidei confessione, statuam fideles ad vitam.* Theophilactus:[u] *Hæc confessio, quam confessus es, futurum erit fundamentum credentium.* Augustinus:[x] *Quid est, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? Super hanc fidem, super id quod dictum est, Tu es Christus filius Dei vivi.* Tot ergo, & tanti Patres, ineptè hunc locum interpretati sunt?

r Hom: in Natal. S Pet.
s Dialogo cum Hermia, pag: 289.
t In 2. Eph:
u In Mat: 16.
x Tract. 10. in Ioan.

Absurdi objecti solutio.

Iam verò nos ad absurdum deducis, scilicet, *Si Petrus est*, inquis, *propter fidem fundamentum Ecclesiæ, omnes fideles essent propter eandem fidem fundamenta Ecclesiæ. Absurdum posterius ergo & prius.* Cùm sis ipse Smigleci, sapiens, non fingas tibi stultum adversarium. Nullus enim nostrum unquam dixit Petrum, propter fidem, esse fundamentum Ecclesiæ. Sed dicimus fidem, seu illam confessionem Petri, *Tu es Christus, filius ille Dei viventis*, esse fundamentum Ecclesiæ. Porrò, si nobis admittendum esset aliquod ministeriale fundamentum, diceremus, Petrum cum reliquis esse tale fundamentum, non ratione intrinsecæ fidei, quæ fuit donum personale, in alios minimè derivandum, sed ratione publicæ & exterioris prædicationis, qua Christum, in unicum Ecclesiæ fundamentum posuerunt. Quod cùm omnibus fidelibus minimè competere possit, tuum ergo absurdum in quintam Essentiam resolvitur.

Vteris ergo quadam correctione. *Quanquam negandum non est, Petrum esse suo modo petram fidei, quia fides Petri nunquam deficit, & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam. Aliorum fides defecit in successoribus; Petri fides nunquam ad finem usq; mundi in suis successoribus deficiet.* Si fidem Petri, Smigleci, quatenus intrinseca fuit, intelligis, erras; cùm enim fuerit donum personale, cum ipso Petro mortuo defecit. Sin confessionem, quam publicè nomine collegarum edidit: ea certè cum aliis Apostolis ipsi communis fuit, & nunquam in Ecclesia deficiet, quia super eam ædificabit Christus Ecclesiam suam. Ab hac fide quoniam Pontifices defecerunt. Petri igitur successores non sunt, nam, ut rectè inquit Ambrosius:[y] *Non habent hæreditatem Petri, qui fidem Petri non habent.*

y Lib: 1. de Pænit. cap: 6.

Cur Pontificii fidem Petri pro fundamento habere nolint.

Candidè dico, me minimè mirari, quòd fidem & confessionem Petri, pro fundamento Ecclesiæ habere nolitis, siquidem illam in vestra Ecclesia, funditùs eversam voluistis. Petrus enim confessus est fili-

est filium Dei viventis esse Christum,id est,unctum.In quod officium? In triplex; Propheticum,Sacerdotale,Regium. Tria ista officia Christo adimitis. Propheticum, quia, cùm solius Christi salutaris vox audienda sit,à traditione humana, vel potius, à nutu unius Papæ,fideles pendere vultis. Sacerdotalis officii in Christo duæ sunt partes,sui ipsius oblatio,& pro populo deprecatio.Vtramq; sustulistis. Nam in locum unici sufficientissimi, in cruce peracti propitiatorii sacrificii, æterniq; sacerdotis Christi,aliud sacrificium, videlicet Missam,cum aliis sacerdotibus verticem derasis,substituistis:In locum verò unici deprecatoris Christi, innumeros intercessores, surrogastis.Regium Christi officium in Papam transtulistis;ea enim ipsi tribuitis, quæ Christo soli, reservata oportuerat, nempè quòd Pontifex sit,caput,fundamentum,sponsus Ecclesiæ;ac itaAntichristi partes strenuè agitis. Porrò objectioni satis fieri vis. *Ajunt*, inquis,*hoc aliis Apostolis convenire*. Quid sit tuum *Hoc*, non satis assequor. Sin ut Apostoli dicantur petræ,id nec de Petro hactenus evicisti. Sin, ut dicantur, super Christum tanquam proprium fundamentum Ecclesiam ædificasse,certè id negare non potes, omnes enim Apostoli super hoc fundamentum ædificarunt, à Petro minimè adjuti, teste Paulo Apostolorum postremè vocato. [z] *Qui videbantur esse aliquid, nihil mihi contulerunt*. Indagavimus, Smigleci, quid sit tuum *Hoc*. Videamus,qui sint isti, qui ista ajunt. Sunt certè celeberrimi Patres. Origenes, [a] *Petra*, inquit, *est, quisquis Christi discipulus est,ex quo biberunt de spirituali consequente petra*&c. Cyprianus: [b] *Dominus noster, cujus præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem,& Ecclesiæ suæ rationem, disponens,in Evangelio loquitur, Et dicit Petro. Ego tibi dico, quia tu es Petrus,& super istam petram ædificabo Ecclesiam &c. Inde, per temporum & successionum vices,Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit,ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur*. Augustinus verò affirmat, *Petrum tunc gessisse figuram Ecclesiæ,Epist: 165.* alibi verò dicit, *Eum tunc universam Ecclesiam significasse, Tract: 124. in Ioan:* Hilarius etiam alios Apostolos *fundamenta & columnas Ecclesiarum dicit*, In Enarratione *Psal: 67.* Erras itaq; multifariam, Smigleci. Primò,dicendo; *Petrum petram esse dictam*. Non enim Petrus, sed Christus, est illa petra. Secundò, dum negas *nomine aliorum Petrum respondisse*. Erroris te convincunt verba Christi: *Vos verò quem me dicitis*. Si enim soli Petro id revelatum fuisset, Christus καρδιογνώστης ad solum Petrum interrogationē direxisset,dicens: *Tu Petre,quem me dicis?* Sed cùm ad omnes

Triplex officium Christi à Pontificiis oppugnatur.

Apostoli inter se pares.

z *Gal:2. v:6.*

a *Tract:1. in Matthæum.*

b *Epist: 27. ad lapsos.*

Errores Smiglecii.

1.

2.

mnes orationem direxerit, Apostolis autem omnib^s ranarum more coaxandum non fuisset, Petrus omnium nomine respondit: *Tu es Christus filius Dei viventis*, & propterea à patribus, *os Apostolorum nominatur*. Vtrumq; igitur, Smigleci, consistere potest, & quod ex revelatione patris, & quod ex commissione aliorum, revelatione ipsis divinitùs factâ, Petrus responderit. Ista enim se invicem minimè tollunt. Nam potest quis ex persona omnium loqui, quæ Deus, & ipsi, & reliquis, revelaverit. Et quanquam ad solum Petrum videatur directa confessionis approbatio, ille tamen personam omnium gessit, quia nomine omnium, quos Christus interrogatos voluit, respondit. Erras etiam, cùm dicis *promissionem Ecclesiæ ædificandæ, fundari in nomine proprio Petri*, siquidem ista promissio fundatur in petra Christo, quam confessus est Petrus. Cùm igitur hîc te pedem tutò figere posse, non videres, limitatione quadam uteris & præoccupas. *Quamvis*, inquis, *suo modo in omnibus Apostolis fundata est Ecclesia, cujus illi fuerunt duodecim fundamenta: tamen in solo Petro fundata est Ecclesia, tota nimirum illa, quam Christus se ædificaturum promittebat; In aliis verò particulares Ecclesiæ, quas Christo suâ prædicatione adjunxerunt, fundatæ sunt*. Quot verba Smigleci, tot ferè errores tui; quorum primus, quòd dicas, in Apostolis fundatam esse Ecclesiam. Locus enim Ioannis non dicit Apostolos duodecim esse fundamenta, sed nomina duodecim Apostolorum agni, fundamentis inscripta esse: quem locum, si contra nos urgebis, primatus Petri corruet. Si enim ex æquo Apostolorum nomina duodecim fundamentis inscripta sunt, nulla habita peculiari ratione ad Petrum, Petrus ergo cæteris Apostolis prælatus non est. Alter error, quòd affirmes totam Ecclesiam fundari super Petrum. Si enim Petrus, ut ait Bellarminus, Ecclesiam tantum militantem regit, Christus verò in cælo etiam triumphantem fundat, à veritate igitur abhorret, quod tu asseris. Tertius error, quòd particulares Ecclesias tantùm, cæteris Apostolis assignaveris. Vniversalis Ecclesiæ curâ, soli Petro relictâ; Apostoli enim non fuerunt particularibus Ecclesiis, ut Episcopi, affixi, sed poterant, & tenebantur, pari authoritate, ut Petrus, per totum mundum Evangelium prædicare. Ita enim Apostolus: [c] *Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum*. Item. [d] *Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ, societatis, ut nos in Gentes, ipsi verò in circumcisionem*. Malè itaq; Petrum Apostolis opponis, tanquam ordinarium pastorem, extraordinariis legatis, quorum officium cum morte expiraverit. Tale enim officium fuit Petri, quale reliquorum

Margin notes: 8. (beside "voluit, respondit. Erras etiam") — Errores Smiglecii. 1. *Apoc:21. v:14.* — 2. (beside "Petrum, Petrus ergo") — 3. (beside "tur abhorret") — c 2.Cor:11. v:28. — d Gal:2. v:9.

liquorum Apostolorum, attestante Cypriano: [e] *Hoc fuit utiq; Petrus, quod & cæteri Apostoli, pari consortio præditi & honoris & potestatis.* [e] *De simpl: Prælatorum.*

His ita, quæ, stabiliendo Pontificis primatui, à te substrata sunt, disjectis, quod inferre conaris, consilii expers, & virium inops, mole suâ ruit. Si enim in propria persona Petrus nunquam fundamentum Ecclesiæ, in quo solo, secundùm Christum, ædificatur Ecclesia, fuit, multò minus ergo in successoribus in seculum seculi erit. Porrò successores, videlicet Pontifices Romanos, Apostolo Petro falsò affingitis, quod evinco his rationibus. 1. Vocabulum successoris Petri, aut latè sumitur, aut strictè. Latè pro eo, quicunq; in Ecclesia, legitimè vocatus, Evangelium Christi docet, & Sacramenta purè administrat, juxta Hjeronymum: [f] *Vbicunq;* inquit, *fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Thanais, &c. ejusdem est meriti, ejusdem & Sacerdotii. Potentia divitiarum, inferiorem vel superiorem Episcopum non facit. Cæterùm omnes Apostolorum successores sunt.* Sed hac ratione Papa non est successor Petri: quia nec Evangelium docet, nec Sacramenta purè administrat. Strictè & propriè, Successor Petri pro eo sumitur, qui Petro in Apostolatu succedit. Talem autem Petrus habet neminem, siquidem Apostolis, quatenus Apostoli, succedi non potuit. Qui enim velit Apostolis, in Apostolatu succedere, necesse est ut habeat hæc quatuor ad Apostolatum requisita. 1. Vt sit immediatè ab ipso Christo vocatus. [g] *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neq; per homines, sed à Iesu Christo.* 2. Vt Christum in carne videat, 1. *Cor.* 15. ℣. 8. *Novissimo autem omnium tanquam abortivo visus est & mihi.* 3. Vt à Spiritu S. immediatè edoceatur omnem veritatem, *Ioan:* 16. ℣. 13. *Cum venerit spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* 4. Vt non sit certæ alicui Ecclesiæ alligatus, sed habeat potestatem docendi quamcunq; regionem, *Matth:* 28. *Mar:* 16. *Docete omnes gentes &c. Euntes in universum mundum.* &c. Hæc quatuor requisita Papa habere non potest. Neutra igitur ratione est Papa successor Petri.

Papa nō est successor Petri. Ratio 1.

[f] *Ad Evagrium*

Apostolis, quatenus Apostoli, succedi non potuit.

Apostolatus requisita.

[g] *Gal:* 1. ℣: 1.

2. Si Papa esset successor Petri, ei succederet, aut in loco, aut in fide, aut in moribus, aut in officio. Non successit in loco, quia ex Scripturis, Petrum fuisse Romæ, probari non potest. Non in fide: quia Petrus aliter credidit, quàm Papa. Non in moribus: quia Petrus *unicum* [h] *Centurionem ad pedes sibi procidere passus non est*: Papa verò reges ad oscula pedum, non tantum invitat, sed etiam quodammodo cogit. Non in officio: quia in Apostolatu Petro succedi non potuit. Ergo Papa nulla prorsus ratione est successor Petri.

Ratio 2.

[h] *Act:* 10.

3. Ratio. Vbi est successor, ibi antecessor nihil juris habet. Atqui in Ecclesia Romana, judicio vestro, Papa est Petri successor. Ergo Petrus nihil juris in Ecclesiam habet. Si autem Petrus nihil juris in Ecclesiam habet, quod itaque de illo in suis successoribus Ecclesiam gubernante, dicis, totum, ut leve & nugatorium, explodendum est.

[Margin: Ratio 3.]

Tandem nos ad libellum tuum, *de Capite Ecclesiæ*, remittis, quem ubi nacti fuerimus, legemus. Interim ad tuam conclusionem hoc responsum habeto, Evangelicos ad illam Ecclesiam pertinere, quæ fundata est super petram, illa verò fundata super petram, quæ super Christum, quo unico vero fundamento, & capite contenti sumus. A sensu & judicio, unius hominis in Laterano residentis, negotium salutis nostræ pendere nolumus, veriti; [i] *Ne si ille*, ut inquit Gregorius M., *qui dicitur universalis, corruerit*, (quod tamen sæpius in Ecclesia Romana accidit) *universa Ecclesia collabatur*. Apud nos certè non sunt quot capita, tot sensus, quippe cùm Christo unico capiti, Spirituique sancto in Scripturis loquenti, supremo judici, nos, nostraque subjiciamus. In vestra autem Ecclesia, licèt externa vi cohibeamini, linguæ tamen vestræ, ut turrim Babel ædificantium, adeò confusæ sunt, ut & patres de ponte præcipitetis, & alii ab aliorum sententia, facillimè dissiliatis, quod doctissimus æternâque memoriâ vir dignissimus, Thomas Morthonus, satis abundeque probavit. [k] Et ni externa vis ori styloque vestro frænum injceret, quot Monachorum familiæ, tot sectæ inter vos pullularent, tantis contentionibus exortis, quantæ olim inter Dominicanos & Franciscanos, de Conceptione B. Mariæ virginis, fuêre, quas non tam gladio verbi Dei, (hunc enim in causa hac strictum, & evaginatum, gerebant Dominicani) quàm gladio ferreo, compositas aliquando Franciscani cupiebant.

[i] *Lib. 4. Epist. 32*

[k] *In Apologia Ecclesiæ.*

Cùm itaque Smigleci, Romanam Ecclesiam solam veram esse minimè probaveris, ego verò evidenter ostenderim, Ministros Evangelicos esse ejus Ecclesiæ Ministros, quæ semper vera fuit, quæque fundata est in inconcussibili Petra, id est, Christo Iesu: tua igitur septima Demonstratio nihil demonstravit.

Ad De-

Ad Demonstrationem octavam, Caput verò duodecimum, responsio.

Ministri legitimi, sunt veri verbi Dei Ministri.
Ministri Evangelici non sunt veri verbi Dei Ministri.
Non sunt igitur legitimi Ministri.

Majorem Demonstrationis tuæ, ut animam legitimi Ministerii exosculamur. In Minore nervus controversiæ, quam si probaveris, viceris, quod tamen in æternum non efficies.

Non facimus, inquis, *injuriam Evangelicis, cùm eos legitimos verbi Dei Ministros esse negamus, siquidem verbum Dei partim rejiciunt, partim detruncant, partim pravis interpretationibus corrumpunt.* Imò maximam facitis, Smigleci, Evangelici enim verbum Dei non rejiciunt, sed traditiones humanitùs confictas, verboq; Dei repugnantes. Neque verbum Dei detruncant, sed Apocrypha à Canonicis, quod semper fecit vetus Ecclesia, discernunt. Nec verbum Dei propria interpretatione corrumpunt, sed à turpissima detorsione, qualis est in vestra Ecclesia, sacram Scripturam vindicant. Tu tamen: *Reijciunt*, inquis, *totum verbum Dei non scriptum*, &c. Petis principium Smigleci, prius enim tibi probandum fuit, esse aliquod verbum Dei non scriptum, posteà accusandi perfidiæ Ministri, quòd illud rejecerint. Addis Sarcasmum: *Quasi verbum Dei, nisi scribatur, non sit verbum Dei, aut à scriptura & membranis, non à Deo, authoritatem suam habeat.* Fuit, Smigleci, verbum Dei verbum divinum, antequam scriberetur, sed ubi Deo placuit illud ipsum scribi, jam post sacram Scripturam, nullum verbum Dei amplius habemus: Quod non à charta, aut characteribus, sed ab ipso Deo, qui hunc modum promulgandæ voluntatis suæ adinvenit, authoritatem suam habet. Rectè Iræneus: [k] *Apostoli*, inquit, *Evangelium vivâ voce primum præconiaverunt, postea verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.*

Vixit, inquis, *Ecclesia per Dei verbum antequam scriberetur.* Si de Ecclesia novi Testamenti loqueris, erras, hæc enim habebat semper [l] *Mosen & Prophetas, quos audire tenebatur.* Sin de Ecclesia veteris Testamenti, ea quidem longo tempore sine scriptura fuit, at postquam Deus voluntatem suam literis consignavit, ab eodem verbo scripto semper pendere tenebatur, ita mandate Deo: [m] *Ad legem &*

De verbo Dei controversia.

Evangelici verbum Dei non rejiciunt.

Neque detruncant.

Neque corrumpunt.

Verbum Dei non scriptum.

k *Lib: 3. adv. Hæreses.*

l *Lucæ 16. v: 29.*

Ecclesia novi Testamenti nunquã absque Scriptura

m *Esa: 8. v: 20.*

gem & ad testimonium: quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Risum verò tenere non potui legens ista tua: *Christus*, inquis, *mittens Apostolos, non præcepit, ut scriberent, sed ut docerent omnia.* Imò verò hoc ipso mandato jussit eos scribere, quia jussit docere: duplex enim modus docendi Apostolis sequendus fuit: alter vivâ voce docendo: alter verò illam doctrinam, quæ viva voce prædicata fuit, literis consignando. Benè Augustinus: [n] *Membra Christi, inquit, id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt, quidquid enim ille de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc illis scribendum, tanquam suis manibus, imperavit.* Gregorius etiam Magnus [o] *scripturas vocat Epistolam Dei creatoris ad creaturam.* At si principis nomine literas commentitias nemo scribere audet, multò minus Apostoli nomine Christi scribere ausi fuissent, ni mandatum à Christo habuissent. Manifesti erroris convincit te Spiritus S. *Apoc:* 1. ℣. 11. *Quod vides, scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis.*

Duplex modus docendi Apostolis initus.

n *Lib: 1. de Consensu Evangelist*

o *Lib: 4. Epist: 88.*

Apostoli jussi sunt scribere.

Subjicis, *Hoc ipsum Scriptum, quod habemus, ex traditione profectum est.* Verum est, ex traditione profectum esse; sed non solius Ecclesiæ. Tradidit enim illud Deus per servos suos, peculiariter à Spiritu S., ad id officii afflatos. Ecclesia verò illud conservavit, tanquam unicam legem Dei, regulam fidei, & vitæ suæ. Falsum autem est quod scribis, *Scripturas esse verbum Dei, sciri tantum ex traditione Ecclesiæ.* Ni enim Deus intus persuaserit, Ecclesia nullo modo poterit. Audi Gregorium à Valentia: [p] *Illud nescio an sit argumentum omnibus Argumentis majus, quod, qui verè Christiani sunt, ita se animo divinitus affectos esse sentiunt, ut præcipuè quidem propter nullum Argumentum, sed propter supernaturalem divinam revelationem, quæ alio quodam modo fortiùs, quàm ulla Argumenta, persuadet, ad firmiter credendum, credant.* Quin potius Ecclesia, quæ sit & qualis sit aliundè cognosci non potest, nisi ex Scriptura, ut rectè monet Chrysostomus: [q] *Qui ergo vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia, quomodo cognoscet nisi per Scripturas?* Et Augustinus: [r] *In Scripturis, inquit, didicimus Christum, in Scripturis didicimus & Ecclesiam: has Scripturas communiter habemus, quare non in eis, Christum & Ecclesiam communiter retinemus?*

Vnde scimus Scripturam esse verbum Dei.

p *Lib: 1. de Analysi fidei cap: 20.*

Ecclesia ex Scriptura cognoscitur.

q *Hom: 49. in Mat: operis Imperfecti.*

r *Epist: 166.*

Tritum est, inquis, illud Augustini: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ authoritas commoveret.* Trita etiam & solida ad dictum Augustini responsio, Augustinum videlicet loqui de se Manichæo, & nondum converso, idque stylo Africano, *commoveret*, pro, *commovisset*, quibus verbis ostendit Ecclesiam fuisse sibi, ut crederet, non principium ultimum, in quod fidem suam resol-

Ad Augustini dictum, Evangelio non crederem, Responsio.

veret, sed causam proponentem, sine qua credere non potuit. Quod malo tibi verbis tuorum quam meis explicare; Ita enim scribit Aquinas: [s] *Augustinus de Ecclesia, ut causa proponente, non ut fundamento fidei, loquutus est.* Disertius Melchior Canus: [t] *Augustino,* inquit, *negotium erat cum Manichæis, qui absque controversia suo cuidam Evangelio credi volebant: Rogat Augustinus, Ecquod facturi sint, si in hominem incidant, qui ne quidem Evangelio credat, quo genere persuasionis sint eum in suam sententiam adducturi, certè se affirmat, non aliter potuisse* (de præterito loquitur) *adduci, quam Ecclesiæ autoritate victum: Non itaque docet in Ecclesiæ autoritate fundatam esse Evangelii fidem. Ait enim Augustinus, quomodo INFIDELES ad credendum adducantur.* Idem ibidem: *Non est Ecclesiæ autoritas ratio per se movens ad credendum, sed causa, sine qua, non crederemus, sicut Augustinus cùm dixit, Evangelio non crederem* &c. Præterea, Augustinus non intellexit solam Romanam Ecclesiam, sed primitivam in qua testes oculati Scripturæ vixerunt. Ita enim Gerson: [u] *Augustinus,* inquit, *Ecclesiam ibi sumit pro Ecclesia primitiva fidelium, qui Christum viderunt & audiverunt, & ejus testes extiterunt*, Et post ipsum Driedo: [x] *Loquitur,* inquit, *Augustinus de Ecclesia illa, quæ fuit ab initio fidei Christianæ.* Sed ut omnibus constet, Augustinum veritatem, quàm Ecclesiæ authoritatem, pluris fecisse, en ejus perspicua verba: *Apud vos personat sola veritatis pollicitatio, quæ si demonstrari queat, ut in dubium vocari non possit, præponenda est omnibus illis, quibus in Ecclesia Catholica teneor.*

s 2. 2dæ Quæst: 1. Artic: 7.
t Locorum Theolog: lib: 2. cap: 8.
u Lib: de Vita animæ.
x De variis dogmat: lib: 4. cap: 4.

Redeo ad te Smigleci. *Quod si scriptum,* inquis, *Evangelium traditione accepimus, cur eadem traditione non accipiamus non scriptum?* Causa in promptu est, quia traditio non scripti, nulla in Ecclesia fuit. Ita enim Cyrillus: [y] *In duobus*, inquit, *Testamentis, licet omne verbum, quod ad Deum pertinet, requiri & discuti, atque ex ipsis rerum scientiam capi. Si quid autem superfuerit, quod sacra scriptura divina non decernat, nulla alia TERTIA SCRIPTURA, ad authoritatem scientiæ, debet suscipi.* Item Theophylus: [z] *Diabolici est Spiritus, extra divinarum Scripturarum authoritatem, aliquid divinum putare.*

Cur verbum non scriptum rejciamus.
y Hom: 5. in Levit.
z In Serm: 2. Pasch.

Sed, ut maturè objectioni occurras. *Traditiones,* inquis, *dicunt Evangelici, damnat Scriptura.* Certè damnat, Smigleci. Ita enim disertè Christus: [a] *Sine causa*, inquit, *me colunt, docentes mandata & doctrinas hominum.* Quid respondes, Smigleci? *Damnat,* inquis, *traditiones, quæ sunt ab hominibus excogitatæ non à Deo profectæ.* At tales sunt vestræ; damnatæ itaq; sunt à sacra scriptura; cujus censuram nulla

Traditiones damnat Scriptura.
a Mat: 15. v. 9.

nulla ratione effugere possunt. Aut enim traditiones vestræ conveniunt cum scriptura, aut non: si conveniunt, id probate, & libenter eas recipiemus: si non conveniunt, spiritus ergo sancti traditiones non sunt, qui non potuit sibi esse contrarius, alia in scriptura, alia viva voce, tradendo. Eleganter Cyprianus:[b] *Vnde, inquit, ista traditio? utrumné de Dominica & Evangelica authoritate descendẽs? an de Apostolorum mandatis atq; Epistolis veniens? ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur.* Idem ibidem: *Si aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis, aut Actis continetur, observetur etiam hæc sancta traditio.*

b Epist: 24. ad Pompeium.

Locus Pauli excutitur.

Sed ut traditiones probes, producis locum *ex 2. Thes: 2. ℣. 16. Tenete traditiones, quas didicistis, seu per sermonem, seu per Epistolam.* Quid hinc elicis, Smigleci? si insufficientiam scripturæ, erras; Non enim sequitur. Hoc tempore, quo ista Epistola scribebatur, nondum fuit Evangelii doctrina literis consignata. Ergo postea non est. Sin traditiones? Ne id quidem potes. Concedo enim tunc temporis, maximam partem viva voce Apostolos docuisse, sed successu temporis, cùm ea in literas retulerint, viva traditio cessavit, & Ecclesia solâ scripturâ contenta fuit.

Scriptura sufficit ad salutem.

Iterum tibi ex persona adversariorum objicis. *Sufficit verbum Dei scriptum ad salutem.* Ita est, Smigleci: non ergo opus habet assumento traditionum. At quæris, *unde hoc?* Ex ipsa scriptura, Smigleci. Quod multis locis probare possem, sed, ne sim prolixus, ex infinitis, pauca depromam. Primus locus *Devt: 4. ℣. 2. Non addetis ad verbum, nec auferetis ab eo:* Hinc Argumentum tale. Doctrina, cui nihil addi, nihil adimi debet, est in suo genere perfecta ac sufficiens. Sacra scriptura est talis doctrina. Ergo in suo genere perfecta & sufficiens.

Loci aliquot pro sufficientia scripturæ.

1.

2.

Secundus locus *Gal: 1. ℣. 8. Sed licèt aut nos, aut Angelus de cælo, evangelizet vobis, præterquam, quod Evangelizavimus vobis, anathema sit.* Argumentum tale. Doctrina, præter quàm in Ecclesia, sub anathemate, nihil est docendum, est perfecta & sufficiens. Sacra scriptura est doctrina talis. Perfecta igitur & sufficiens. Ne verò id de traditione viva voce intelligendum putes, en habes verba Augustini:[c] *Si quis, sive de Christo, sive de Ecclesia, sive de quacunq; alia re, quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, aliud evangelizaverit, præterquàm, quod in scripturis legalibus, & Evangelicis, accepistis, anathema sit.*

c Contra lit: Petil: lib: 3. cap: 6.

3.

Tertius locus *Ioan: 5. ℣. 39. Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere.* Si Iudæi, & quidem rectè, approbante

bante Christo, putabant se in scripturis vitam æternam habere, id est, doctrinam ad consequendam vitam æternam sufficientem, multò magis nos, postquam ad legales libros Apostolici quoq; accesserunt, idem credere debemus. Verum Antecedens; De veritate itaq; consequentis nullus dubitandi locus.

Quin ipsa sacræ scripturæ inscriptio, sufficientiam scripturæ evincit. Si enim sacra scriptura est testamentum prudentissimi testatoris; ultima est voluntas ejus, cui, qui hæredum nomine censeri volunt, nihil addere, nihil detrahere debent; proindè supplemento traditionum minimè indiget. Egregiè certè Augustinus: [d] *Non intestatus*, inquit, *Christus mortuus est, tam diu de hæreditate contenditur, quoad Testamentum proferatur in publicum, hoc prolato tacent omnes.* Idem. [e] *Si quis contra voluntatem Testatoris fecerit hæreditate careat, ego verba recito Testatoris.* Et ante illum præclarè Athanasius. [f] *Sufficiunt*, inquit, *sacræ, & divinitùs inspiratæ scripturæ, ad veritatis indicationem.* Sed quid ego te argumentis & Patrum testimoniis urgeo? en habes verba Gregorii 13. qui scripturam magnificentiâ regiâ, variis linguis editam, tanquam magnum beneficium celebrat, dicens: *Nam quod Theologiam attinet, quæ est summa philosophia, his libris, omnia nostræ religionis, & Divinitatis mysteria, explicantur, quod verò attinet ad eam partem, quæ Moralis nominatur, hinc quoq; omnia, ad omnes virtutes, præcepta colliguntur, quibus duabus partibus, omnis nostræ salutis & felicitatis, ratio continetur.*

d *In Psal: 21.*
e *De quinque Hæres.*
f *Contra Idola.*
Litter: ad Philipp: Hisp: Regẽ in exemplis præcipuis act: publ: ad Regia Biblia & sacrum apparatum pertinẽtium.

Porrò, ut nostra Argumenta diluas, scilicet, objicis tibi locum Iohannis: [g] *Hæc scripta sunt ut credatis, & credentes vitam habeatis.* Invictum certè ex hoc loco Argumentum. Si enim scriptura ea continet, quæ credendo, habemus vitam æternam; sequitur scripturam solam ad salutem sufficere. Quid verò tu? Apertè Ioanni contradicis, dicens, *eum id non sensisse de suo Evangelio, ut omnia necessaria ad salutem contineat, sed ea, quæ ipse scripsit, magnam vim habere ad salutem.* Erras, planiora enim sunt verba Ioannis, quàm ut eludi possint. De magna vi nihil Iohannes, de summa & absoluta, en apertè: *Scripta sunt ut credatis, & credentes vitam æternam habeatis.* Quid amplius desiderari potest? At Enstalin profers: *Nihil scripsit de Cœna. Ergo non omnia ad salutem necessaria scripsit.* Non constas tibi, Smigleci. Hìc enim dicis Ioannem nihil scripsisse de cæna, superius autem communionem sub una specie ex 6. capite Ioh: probare voluisti. Sed malo te Patrum verbis, quàm meis refutare. Augustinus, ubi adduxit locum istum, concludit: [h] *Electa sunt quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.* Cyrillus: [i] *Non omnia*, inquit, *quæ*

Locus Ioannis.
g *Ioan. 20. v: 31.*
h *Tract: 49. in Ioan:*
i *Lib: 12. in Ioan. cap: ultimo*

quit, *quæ fecit Dominus, conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores, quàm ad dogmata putârunt sufficere, ut recta fide, & operibus, ac virtute rutilantes, ad regnum cælorum perveniamus.*

Locus Pauli. Omnis Scriptura.

Objicis etiam tibi locum *ex 2. Tim: 3. v: 16. Omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ut perfectus homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Quid clarius dici potuit, pro perfectione Scripturarum? Scriptura enim servit, teste Apostolo, primò ad docendum, id est, dogmata fidei: secundò arguendum, id est refutandos errores in fide: tertiò ad erudiendum in justitia, id est, docenda præcepta morum: quartò ad corripiendum, id est, corrigendos errantes in moribus. Scripturæ ergo summa perfectio hinc enitet. Et rectè Episcopus Espensæus: [k] *Ad hoc,* inquit, *data est Scriptura, ut docet Ambrosius, ut proficiat imperitis, instauret deformes, attrahat iniquos ad justitiam: Ex multis Sedulii & Primasii fragmentis sic colligas licet; Datam esse Scripturam, quâ possint ignorantes doceri, insolentes argui, errantes corripi, pænitentes corrigi, ut homo Dei, id est, (ut non malè Cajetanus) Quicunque fidelis, qui totum seipsum Deo dedit, cujuscunque sit gradus, sive præsit, sive subsit, ad suum opus bonum exercendum, consummatus esse possit.* Quid verò tu, Smiglecí? Invertis statum controversiæ, & dicis, *In singulis libris non esse omnia ad salutem necessaria contenta.* Nec nos hoc volumus, in singulis Epistolis, seorsim consideratis, & à seipsis invicem avulsis, omnia contineri. Sed cum Paulo dicimus, *Omnem,* seu *totam Scripturam,* in omnibus suis partibus, hominem ita perfectum reddere, ut ad omne opus bonum perfectè sit instructus. Rectè Rhibera vester: [l] *Quæ in scripturis de multis simul dicuntur, non omnia singulis conveniunt, sed quædam his, quædam illis.* Quod itaq; scribis, Smigleci; *sine ullo fundamento Evangelici dicunt, nihil ad salutem esse necessarium, quod in verbo Dei scripto non contineatur.* In eo valdè falleris: Quo enim fundamento innixi id affirmemus, supra expositum habes. Instas. *Non omnia scripta sunt illa, quæ per quadraginta dies, à resurrectione sua, Christus cum Discipulis egit.* Concedo non omnia scripta esse. *Electa sunt tamen,* ut Patres dicunt, *ea, quæ saluti fidelium sufficerent.* Revocabat enim Christus in memoriam Apostolis ea, quæ ipsis mors Christi excusserat, quæ postea Apostoli, induti virtutem ex alto, & viva voce docuerunt, & monumentis literarum, quantum salus fidelium postulabat, prodiderunt.

k *Commen: in 2. Tim: 3.*

l *Com: in Zach: 10.*

Instantia Smiglecii. Responsio ad eam.

Apostoli non plures, quàm extent, Epistolas scripserunt.

Erras etiam, Smigleci, asserens; *Apostolos plures Epistolas scripsisse quàm extent.* Fidelior enim custos tanti depositi Ecclesia fuit, quàm ut aliquid perire permisisset. Quod autem dicitis de Laodicensium

censium Epistola, ea facilè refutari possunt; cùm Apostolus nullam ad Laodicenses dederit, sed ex Laodicæa Epistolam scripserit. *Colos.* 4. ℣. 16. καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε.

Epistola ad Laodicenses nulla.

Erras etiam dicens, *Plura docuisse Apostolos, quàm scripserint.* Fusiùs docuisse concedo. Plures articulos, viva voce, proposuisse, minimè dabo, nec tu unquam probare poteris. Absurdus verò, ne dicam blasphemus es, cum scribis: *Ex variis occasionibus necessitatum, & tanquam per accidens Apostolos scripsisse, non ut omnia complecterentur.* Refutaris enim à Beato Luca, ita ad Theophilum scribente: [m] *Visum est mihi, assequuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Theophylus fuit viva voce Evangelium edoctus, tamen propter majorem ἀσφάλειαν, scripsit ipsi beat⁹ Lucas. Necessitate itaque propagandi Evangelii, & confirmandorum fidelium, scripserunt Evangelistæ. De quibus venerandæ antiquitatis tale judicium: De Matthæo ita Eusebius: [n] *Matthæus*, inquit, *cùm primùm Hebræis prædicasset, & jam ad alios quoque transiturus erat, Evangelium suum patrio sermone tradidit: & quod subtracta sua præsentia desiderare possent illi, à quibus discedebat, per literas adimplevit.* Chrysostomus autem: [o] *Matthæus scripsit accedentibus his, qui ex Iudæis Christo crediderunt, & rogantibus, ut quæ verbis docuisset, hæc eis in literis servanda dimitteret.* Adjicit alibi: [p] *Fideles istud petiisse, ne propter persequutionem, in Palæstina imminentem doctoribus orbati, doctrinâ etiam carerent.* De Marco Eusebius ex Clemente Historiam hanc recitat: [q] *Cum Evangelium in Occidentem venisset, tantus pietatis splendor mentibus illorum, qui Petrum audierant, illuxit, ut non possent contenti esse non scripta prædicationis divinæ doctrina: sed Marcum magna animorum contentione obtestati sunt, ut commentarios ejus doctrinæ, quam verbo sine scripto traditam accepissent, literis comprehensam ipsis relinqueret. Ajunt autem, Apostolum Petrum, cum ex instinctu Spiritus sancti hoc cognovisset, delectatum esse virorum illorum voluntate, & scriptum hoc judicio suo comprobasse, utq; in Ecclesiis legeretur, constituisse.* De Ioanne omnes veteres consentiunt, quòd multis precibus ab Ecclesiis Asiaticis sollicitatus, ex professo scripserit Apologiam divinitatis æternæ Christi, idq; contra Cerintum & Ebionem Hæresiarchas, qui, S. Ioanne in insulam Pathmos relegato, pestiferum virus, in illis Ecclesiis affatim spargebant. Quæ cùm negare non possis, Smigleci, sequitur Apostolos & Evangelistas, summa necessitate propagandæ, defendendæ, & retinendæ veritatis compulsos, ea, quæ nobis reliquerunt, scripsisse.

Apostoli viva voce plura docuerunt.

Necessariò Apostoli scripserunt.

m *Luc:1.℣: 3.4.*

Evangelistas quid impulerit.

n *Lib:3. cap:24.*

o *Hom:1. in Matt.*

p *Opere imperf. in Matth.*

q *Lib. 2. cap:14.*

Pædobaptismus non est Traditio.
r Tract: de Baptismo.
s Lib: de Bapt: cap: 2. Sect: 3.
t Lib:1. de Sacram: cap: 9.

Tolerandus etiam hac in parte non es, quòd *Pædobaptismum inter traditiones non scriptas refers*, quem tamen [r] *Catechismus Tridentinus* probat ex scriptura, nempè *ex circumcisione*, & ex eo, quòd *Apostoli totas familias baptizârunt, Act: 16.* [s] Gregorius etiam à Valentia Pædobaptismum probat, ex locis scripturarum, *Eph. 5. Ioel. 2. Matth. 19.* Quin ipse Bellarminus disertè scribit, [t] *Infantes posse baptizari, deducitur evidenter ex scripturis*. Et hæc est vestra concordia Catholica, quæ vobis tantos spiritus parit. Ritus verò circa Sacramenta, Christus exemplo proprio docuit, quos Apostoli monumentis literarum prodiderunt.

De libris Apocryphis, & quibusdam additis capitibus.

Licèt ergo minimè probare potueris Evangelicos aliquam partem verbi Dei rejicere, iis tamen objicere audes, *quòd verbum Dei scriptum, detruncatum & mutilum admittant.* Quid ita Smigleci? *Quia quasdam additiones non admittunt, & libros Apocryphos inter Canonicos numerare minimè volunt.* At si nos ideo verbum Dei delumbamus, quia additiones Danielis & Hester, quæ in Hebræa veritate non leguntur, item Iudith, Baruch, Tobiam, Sapientiam, quæ dicitur Solomonis, Ecclesiasticum, Machabæorum libros, inter Apocrypha rejicimus, & à Canonicis distinguimus; Delumbatam ergo scripturam habuit vetus Ecclesia, cujus tamen testimonium majoris momenti, quàm hodiernæ. Nam inter Apocrypha istos libros, & hæc Capita retulerunt veteres. Melito, apud *Eusebium lib. 4. cap. 26.* Origenes apud eundem *lib. 6. cap. 25.* Cyprianus *in Symbolo*, Athanasius *in Synopsi*, Hilarius *Præfatione in Psalmos*, Nazianzenus *in carmine de genuinis sacræ scripturæ libris*, Hieronymus *in Prologo Galeato*, Concilium Laodicænum *Can: 29.* Non dices, poculdubio, Ecclesiam illorum temporum, scripturas detruncasse. Ergo nec nobis, qui vestigiis illius insistimus, hoc probri jure objecisti: quippe cùm recens Ecclesia, ex Apocrypho, Canonicum librum facere non possit. Propriis itaq; viribus diffisus, amandas nos ad Coryphæum vestrum Bellarminum: ego verò te vicissim, ad Vittakerum, Sibrandum, Morthonum, & alios fortissimos Christi Athletas, qui impetum Bella, Arma, Minas, inverso ordine crepantis, strenue represserunt. Sed ut occurras objectioni, scilicet: *Ajunt*, inquis, *Evangelici, dubitatum esse de plerisq; &c.* Quis ait, Smigleci? Nostri certè non ajunt dubitatum esse de his partibus & libris: sed ajunt expressè, & verbis disertis, à primitiva Ecclesia, istos inter Apocrypha, rejectos, & à Canonicis discretos fuisse, quod probant testimonio tot authorum, quos supra annotavi. Instas. *Si credunt Ecclesiæ de illis, quæ recipiunt, cur pari ratione, non credunt de aliis decernenti?* Quia non est

Aspis & suo & viperæ veneno pugnat.

Cur hodiernæ Romanæ Ecclesiæ non credimus, Apocrypha inter Canonica computanti.

non est par ratio, Smigleci; quæ enim antiqua, Apostolorum temporibus proxima Ecclesia, pro Apocryphis semper habuit, ea recens Tridentina inter Canonicos nullo jure referre potest. Rectè Durandus vester:[u] *Quod dicitur*, inquit, *de approbatione scripturæ per Ecclesiam, non intelligitur, nisi de ea, quæ erat tempore Apostolorum, qui Spiritu S. repleti erant, viderant miracula, & doctrinam Christi audiverant. Atq; ideo probati testes erant veritatis scripturæ. Sed qui hanc authoritatem extendere vult, ad Ecclesiam, quæ postea sequuta est, is certè Hæreticus*, (audi Smigleci) *censendus est, cujuscunq; sit conditionis.* Consentit eidem Gerson:[x] *Major*, inquit, *fuit Ecclesiæ primitivæ authoritas, quoad prædicta, quàm nunc sit, & non est in potestate Papæ aut Concilii immutare traditiones* (scripturas intelligit) *datas ab Evangelistis, & à Paulo, sicut quidam delirant.*

u *Lib:3. Dist:24. Quæst: 1. Art:9.*

x *De Vita spirituali animæ, Lect:2. Corol: 7. Num. 61. Tom:3.*

De interpretatione Scripturæ.

Tandem tertium punctum assertionis tuæ contra nos probare instituis, nempè *quod nostris interpretationibus verbum Dei corrumpamus*. Quod in æternum nunquam probaturus, citas tamen verba Petri: *Omnis scriptura propriæ interpretationis non fit, sed Spiritu S. loquuti sunt sancti Dei homines.* Verba Petri, Smigleci, longè verissima, ex quibus quid tu contra nos concludis? *Petri legem*, inquis, *non observant Evangelici, quia, nullius judicium in scripturis sequuntur, sed proprio judicio, duntaxat ducuntur.* Quis te coëgit falsum putare? Nos enim, non proprium judicium in interpretatione scripturarum sequimur, sed judicium publicum Spiritus S. in iisdem scripturis disertè loquentis, qui optimus est verborum suorum interpres; scripturam itaq; per scripturam, juxta Analogiam fidei, interpretamur. Qualem interpretationem approbat ipse Spiritus Sanctus:[y] *Legebant*, inquit, *legem Dei explanatè & exponendo sensum, dabant intelligentiam, per scripturam ipsam.* Quid ergo tibi in nobis displicet, Smigleci? *Collatio scripturarum.* Atqui hæc maximè necessaria, & scripturæ interpretandæ, tutissima via. Ita enim Irænaeus:[z] *Legitima*, inquit, *& minimè periculosa scripturæ expositio est, secundùm scripturas ipsas.* Et Chrysostomus:[a] *Sacra scriptura seipsam exponit, & auditorem errare non sinit.* Nec non Basilius:[b] *Ille, qui cor habet, legat superiora & inferiora, ac inveniet sensum.* Item Hilarius:[c] *Ex causis dictorum, assumenda est intelligentia dicendi: optimus enim lector est, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potiùs, quàm imponat, & retulerit magis, quàm attulerit.*

Scriptura per Scripturam interpretanda.

y *Nehem: 8. V: 9.*

Hæc tutissima via.

z *Lib:4. cap:63. adversus Hær.*

a *Hom. 12. in Gen.*

b *In Asceticis Reg:267.*

c *Apud Eder: Æconomiæ Bibl lib:1. pag: 64.*

Audiamus tamen quid contrà mussites. *Quasi verò*, inquis, *Spiritus sanctus cuivis loca cum locis conferenti, assistat, & sensum aperiat.* Concedo, Smigleci, non omnibus Spiritum sanctum assistere, sed iis

Spiritus S. cui interpreti assistat.

sed iis tantùm, qui piis precibus, scripturas collaturi, Deum sollicitant, animumq; pium, sincerum, candidum, ad lectionem earum afferunt. Ita enim Christus: [d] *Si vos*, inquit, *cùm sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quantò magis pater vester cælestis, dabit spiritum bonum petentibus se*. Triplici coronæ, & bicornibus mitris Spiritus sanctus minimè alligatus est. [e] Nam, ut Historiæ prodiderunt, *In quodam Concilio Romano Iohanni 23. in sublimi Cathedra præsidenti, non columba, in cujus forma se Spiritus sanctus patefecit, sed terribilis Bubo apparuit.* Iure Concilia vestra Ferus perstringit collatione facta cum Concilio Apostolorum, de quo *Act*: 15. [f] *Nos aliter*, inquit, *convenimus, nosq; ipsos quærimus; itaque nobis pollicemur quidvis nobis licere, de plenitudine potestatis. Et quomodo Spiritus sanctus hujusmodi conventus probare possit.* Quæris, Smigleci, *quî fit, ut cùm Ariani, æquè ac Calvinistæ scripturas cum scripturis conferant, contrarias tamen doctrinas ex scripturis eliciant?* Fit propterea, quia non rectè conferunt. Æquè nobiscum Ariani scripturas conferre non possunt, siquidem ad collationem scripturarum, non tantùm præconceptas opiniones, sed etiam odium summum sacrosanctæ Trinitatis afferunt: Nec eum, collaturi scripturas, spiritum invocare volunt, aut possunt, cujus afflatu scripturæ scriptæ sunt.

> d *Luc*: 11. v: 13.
> Spiritus sanctus Papæ alligatus non est.
> e *Fasciculus Rerum expetendarum.*
> f *Comm: in Act. cap*: 15.
> De Arianorum interpretatione quæstio.
> Ejus solutio.

Verùm, ut collationem scripturarum, quæ à nobis fit, ludibrio exponas. *Evangelici*, inquis, *uno tempore, facta scripturarum collatione, affirmant, quod alio tempore facta alia collatione negant*. Per summam invidiam ista nobis impingis, Smigleci. In fundamentalibus enim nunquam hoc factum ab Evangelicis: in adiaphoris, vel minùs fundamentum fidei concernentibus, si id aliquando factum, mirari non debes. Dona enim Dei, sensim & lentè diffunduntur, ut illa [g] *aqua è domo Domini apud Ezechielem*. Et ipse Petrus, licet tot Prophetiæ, tot prædictiones Christi, præcesserint, non continuò etiam, post acceptum Spiritum sanctum, intellexit mysterium, toti orbi convertendo necessarium, vocationem videlicet gentium, donec ipsi, [h] Deus peculiariter, *demisso cælitùs cum reptilibus linteo, illud revelavit*. Sed te disputantem audiamus. *Omnes* inquis, *Hæretici scripturas cum scripturis conferunt, & tamen hæreses ex scripturis deducunt*. Conferunt quidem, Smigleci, sed non ritè conferunt, alioqui si ritè conferrent, Hæretici esse desinerent. Non enim ex collatione scripturarum, sed ex superbia, & ignoratione verbi divini Hæreses pullulant. Audi Chrysostomum: [i] *Scripturarum*, inquit, *ignoratio hæreses peperit, & vitam corruptam invexit, omnia sursum deorsum miscuit*; &c. *Baratrum est, scripturarum ignoratio*. Idem alibi. *Exorta sunt*

> Interpretatio Evangelicorum à sannis vindicatur.
> g *Ezech*: 47. v: 2
> h *Act*: 10.
> Hæretici non ritè Scripturas cōferunt.
> Ex ignoratione Scripturæ hæreses.
> i *Hom: de Lazaro.*

orta [l] *sunt mala ab ipsarum scripturarũ ignoratione. Vt qui lucis hujus usurâ non fruuntur, rectà ingredi non possunt: Ita qui ad scripturæ radios, oculos non intendunt, necessariò in multos errores incidunt.* Benè etiam Episcopus Espensæus: [m] *Memini ego*, inquit, *Episcopum Italum nobilem, nec verò imperitum, mihi dicere solitum. Conteraneos suos à studio Theologiæ deterreri, & quodammodo abhorrere, ne sic fiant Hæretici. Quasi verò Hæreses ex scripturarum studio, & non potius ex eorum neglectu & ignorantia nascantur: quam igitur artem, ajo, vestrates profitentur? Iuris, ait, utriusq;, sed præsertim Canonici: scilicet hoc est ad Episcopatus, ad Galeros, ad summas deniq; in terris vices compendium.* Nec malè Erasmus: [n] *Quidquid est Hæreseon in orbe terrarum, id vel ex scripturis perperam intellectis, vel à Philosophia natum est: at à Philosophorum libris nemo arcetur, Ergo nullus debet à sacrorum voluminum lectione submoveri.*

l *In Proœm: Epi ad Rom.*

m *Com: in Tit: cap: 1. & 2. pag: 101.*

n *Apud Alphon. lib: 1. de Hær: cap: 5. pag: 32.*

Quod autem scribis *verè Lutherum scriptum reliquisse; scripturam esse Hæreticorum librum*, id in dubium meritò vocare possum, cùm nec tu locum assignaveris, Lutherus verò ita disertè scribat: [o] *Inprimis cupimus verbum Dei, scripturarum S. cursum suum liberum habere, secundùm quam ordinari debent omnia.* Luthero forsan affingis hanc vocem blasphemam, vestroq; genio propriam. Vos enim scripturam sacram: [p] *Delphicum gladium*, [q] *Egenum elementum*, [r] *Nasum cereum* &c. vocatis. Stuporem tantum animi vestri, ne dicam reprobam mentem, in quam contemptores tanti thesauri justo Dei judicio traditi estis, satis mirari non possum. Certatis contrà scripturam pro Traditionibus, quas pari pietatis affectu ac ipsam sacram scripturam, Concilium Tridentinum accipi sub anathemate jubet. At si vobis scriptura Delphicus gladius, Egenum elementum, Nasus cereus, eodem ergo loco vobis & Traditiones erunt. Quæ ergo vobis certa fidei & doctrinæ vestræ principia? Solus, ni fallor, Romanus Pontifex. Hic verò unde vos fidem docebit? Proculdubio ex scrinio pectoris proprii. O Enthusiastam! ô Montanum paracletum jactantem! ô vos cæcos, & salutis propriæ negligentes! qui conculcata scripturarum majestate, Traditionum, etiam vestrarum necessitate, nec non Ecclesiæ authoritate, ab ore unius Pontificis; qui falli & fallere potest, animarum vestrarum salutem suspensam vultis. Deus immortalis, quàm ab antiquis degenerastis, quorum longè diversum de scriptura judicium fuit. Scripturam enim Chrysostomus vocat *certissimam* [s] *trutinam & gnomonem, normam & regulam omnium rerum.* Augustinus scripturam vocat [t] *stateram divinam*, Eandem vocat [u] *regulam fidei nostræ*. Basilius scripturam di-

o *Lib: adversus Papatum.*

Elogia quibus ornant Pontificii Scripturam.

p *Turianus contra Sadel: fol: 99.*

q *Hosius de expresso verbo Dei.*

r *Pigius Hirarc lib. 3. cap: 3.*

Patrum elogia.

s *Hom: 13. in 2. Cor.*

t *Lib: 2. cap: 6. cont: Donat.*

u *De bono viduit: cap: 1.*

x *Lib:1. contra Eunomium.*
y *Lib: de summo bono cap:19.*
z *Serm: de Confess.*

ram dicit x *Canonem recti, & normam veritatis.* Isidorus dicit scripturam esse ut y *Manna*, quia est communis perfectis & parvulis. Fulgentius scripturas vocat z *ditissima fercula*, quia habent quod omni ætati congruat, potum lacteum, quo infantia nutriatur, & cibum solidum, quo robusta juventus, spiritualia virtutis incrementa, accipiat. Gregorius deniq; Magnus: *Scriptura est*, inquit, *fluvius, in quo Elephas natare possit, agnus ambulare.* Non miror antiquos Patres hisce gemmeis elogiis scripturam ornasse: illorum enim doctrina ex his limpidissimis fontibus hausta fuit. Minùs etiam miror Pseudocatholicos sacrosanctam majestatem scripturarum tam frivolis Epithetis conculcare; siquidem in scripturis religionis suæ nulla fundamenta habent. Ideòq; sunt; ut illorum similes Tertullianus vocat, a *Lucifugæ scripturarum.* Recto autem intellectu, facilè tibi concedo, quod ex persona Lutheri falsò introductâ, ex mente verò propria, protulisti, & in margine annotasti; *Scripturam esse Librum Hæreticorum.* Scriptura enim possessione, usu, & fructu, est Liber noster, qui cùm re ipsa Orthodoxi simus, à Pontificia tamen secta, quæ est Hæreseon vorago, Hæretici vocamur.

a *De Resur: carnis.*

Quo sensu Scriptura liber Hæreticorum.

Hærese ex Scriptura confirmari nequeunt.

b *De Resur: Carnis.*

Blasphemus verò es cum scribis: *Omnes Hæreticos ex Scriptura Hæreses confirmare.* Scriptura enim vox Dei est, & ipsissima veritas. Hæreses ergo & errores confirmare nequit. Aliter judicavit Tertullianus ita scribens: b *Aufer Hæreticis quæ cum Ethnicis sapiunt, ut de Scripturis solis, quæstiones suas sistant, & stare non poterunt.* Quid verò tu Smigleci? *Si dicant*, inquis, *Evangelici Arianos non æquè Scripturas conferre, idem dicent Ariani de Evangelicis.* Dicent, sed immeritò, illudq; probare non poterunt. Evangelici enim authorem Scripturæ, Spiritum S., ut sit suorum verborum interpres, invocant, quod Ariani facere non possunt. Sed ut semel, & uno verbo, tibi respondeam. Si propterea à Scriptura recedendum, quia Hæretici illa abutuntur, recedendum erit à traditionibus, quia omnes Hæretici traditiones non scriptas urgebant, teste Iræneo & c Augustino: Recedendum erit etiam ab authoritate Ecclesiæ, quia etiam concilia pro se allegârunt, nihili habendum judicium summi Pontificiis, quia Ariani subscriptione Liberii, in condemnationem Athanasii, contra Athanasium, qui fuit Ecclesiæ columna, olim abusi sunt. Absurda ista proculdubio dices, absurdum ergo, & hoc, ex quo ista deducuntur. Porrò, quid in tanta varietate abutentium Scripturâ faciendum sit, rectè docet Chrysostomus: d *Gentilis mihi dicit, vellem fieri Christianus, sed tot sunt inter vos pugnæ, ut cui adhæream, nesciam: quilibet dicit; Ego verum dico, cui credam nescio:* *hoc mul-*

N.B.

Lib:3. cap:2.
c *Tract: 96. & 97. in Ioannem.*

Quid faciendum in abusu scripturarum.

d *Hom:33. in Acta Apost.*

hoc multum pro nobis, nam omnes Scripturas suscepimus, quæ cùm sint simplices & apertæ, facilè tibi erit judicare, si quis illis consentiat, verus est Christianus, sin contra pugnat, procul est ab hoc Canone. Quæ verò de defectione Lutheranorum ad Calvinistas, scribis, nullius momenti sunt, cùm in articulis fundamentum concernentibus, utrorumque fidei par sit ratio: nec hi ad illos deficiant, sed majorem, aut minorem, in rebus mediis, illuminationem, à Deo consequuntur. Vos certè, etiamsi quis processionem Spiritus S. à filio neget, modo Pontificem Romanum pro Capite visibilis Ecclesiæ habere velit, in gremium Ecclesiæ vestræ recipitis.

Nota inter tot Hæreses veri Christiani.

Recepti sunt Rutheni.

Summa, inquis, rei est. *Si quæcunque collatio scripturarum, à quocunque facta sit, sufficiat, sequitur omnes Hæreticos verè interpretari Scripturas: aut illa regula non erit usquequaque certa & indubitata.* Ad tuum, *Si*, respondetur per, Si. Si Evangelici, quamvis, & à quovis, factam collationem, sufficere dicerent, sequeretur quod infers, At Evangelici hoc non dicunt, sed collationem legitimam requirunt, quæ fiat Spiritu S. in auxilium invocato, ab animo candido, sincero, pio, veritatis cælestis studioso. Non itaque sequitur, aut omnes Hæreticos rectè Scripturam interpretari, aut hanc regulam incertam esse. Audi Pererium: [e] *Primitiva*, inquit, *Ecclesia, nullam regulam aliam novit, utinam hæc nunc obtineret.* Immerito itaque concludis falsum esse pronunciatum Evangelicorum, *Scripturam esse judicem omnium controversiarum, esseque ex se clarissimam & omnes dubitationes tollere.* Non in literas aut characteres, sed in ipsum Spiritum S. in scripturis loquentem tantum probri jacis, ut illum summum judicē controversiarum recuses, quem tamen Apostoli, in Concilio Hierosolymitano, illius gravissimæ controversiæ, de circumcisione, quæ Ecclesiam admodum exercebat, judicem supremum agnoverunt, nam adductis ex sacra scriptura multis testimoniis, tandem dicunt: [f] *Visum est Spiritui S.* Adjiciunt, *Et NOBIS*, ut se Spiritus S. sententiæ acquiescere significarent. Iterum contra nos, cum Arrianis prodis, ad quos tibi bis tervé responsum est, & nunc etiam respondebo, quod apud illos non Scriptura, quâ abutuntur, judicet, sed præconcepta opinio, & odium Sacrosanctæ Trinitatis præjudicat. Quid enim illi rerum agunt? An commentarios sanctorum Patrum evolvunt? An in Historia Ecclesiastica versantur? An Conciliorum veterûm, quorum in Ecclesia fuit saluberrima authoritas, Canones perlegunt? Id verò minime; hæc enim omnia in totum rejecerunt. Quibus ergo occupantur? Toti in eo sunt ut Sophismata contra æternitatem Christi & divinitatem

Non quævis interpretatio sufficit.

e *Præfat: Com. in Danielem.*

Scriptura judex controversiarū.

Seu, quod idem est Spiritus sanctus in illis loquens.

f *Act. 15. v. 28.*

Ad Arianos tertio respondetur.

nitatem Spiritus S. plurima colligant, locos verò pro æternitate filii Dei perspicuè facientes, item Argumenta pro persona & divinitate Spiritus S., luculenta, eludant, non itaque mirum, si perperam Scripturis illi abutantur.

Vnde contentiones & dissensiones.

Quæris, Smigleci, *Si scriptura facillima & clarissima, unde tot tenebræ, contentiones, interpretationes, errores?* &c. Non ex Scriptura certè: verbo enim Dei hæc macula aspergi nequit. Sed, ut tibi supra dictum est, ex illarum neglectu, ignoratione, & abusu: quia non omnes Scripturam cum scriptura, rectè conferunt, ut oportet, cum præjudicatis opinionibus accedunt, errorum suorum approbatorem Spiritum S. esse volunt. Deum ardentèr minimè precantur. Cùm Deus nonnisi cælum precibus pulsanti, verum sensum aperiat, illisque scripturarum adyta patefaciat, quos præordinavit ad vitam æternam. Arianos verò in obstinatione reliquit, quia per filii dedecus, patris decus, tueri se existimant, cùm aliter pronunciet Christus. *Pater non judicat quenquam, omne judicium dedit filio, ut omnes honorent filium, sicut honorant patrem.*

g Ioan: 5.

Lumen Scriptura.

Sed ut perspicuitatem Scripturæ neges, scribis: *Lumen quidem est scriptura, non quod per se in oculos incurrat, sed postquam cognitum est, & intellectum.* Erras, Smigleci. Vt enim Sol in se est Sol, licet lumen ipsius, cæci non videant: sic S. scriptura in se est lumen, quamvis ad ipsius claritatem, oculis vestris ultrò velum injiciatis. Ita enim Spiritus S. [h] *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* [i] *Lucerna pedibus meis, verbum tuum Domine.* Quod ne de traditionibus accipias, monet te Augustinus dicens. [k] *Quod ait lucerna pedibus meis verbum tuum; verbum est, quod scripturis omnibus continetur.* Prodeat & dicat etiam contra vos testimonium S. Petrus: [l] *Habemus*, inquit, *firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti, in caliginoso loco.* At lucerna, in caliginoso loco lucens, obscura esse non potest, nisi fortè iis, qui sunt cymmeriæ tenebræ, & ipsa palpabilis caligo, de quibus Paulus: [m] *Quod si etiam*, inquit, *est opertum Evangelium, in his, qui pereunt, est opertum.* Eleganter Augustin⁹ apud Possevinum: [n] *Cæco*, inquit, *præsens est sol, sed ipse soli absens.* Nos ergo, ut cum summa animi lætitia hoc lumen intuemur, ita venerandam caniciem Patrum, perspicuitatem scripturę sub astra ferentem, libenter audimus. Sic enim Clemens Alexandrinus, de sacra scriptura, inquit: [o] *Audite, qui estis longè, audite, qui estis prope: multis relatum est verbum Dei, lux est communis, omnibus illucescit hominibus, nullus est in verbo Cymmerius, festinemus ad salutem.* Epiphanius: [p] *Omnia sunt clara in divina scriptura, his, qui*

h Psal: 18.
i Psal: 118.
k In Psal: 118.
l 2. Pet: 1. v: 19.

Scriptura quibus obscura.

m 2. Cor: 4. v: 3.
n In Not. D. K: Ver. fol: 44.

Patres de perspicuitate Scripturæ.

o In exhor: ad Gentes.
p Her: 26. contra Anomæos.

his,qui raciocinatione divinum sermonem adire volunt, & non diabolicam operationem in se conceperunt, ac se ipsos in baratrum mortis, conjicere conantur. Lactantius: [r] *Num Deus,& mentis,& vocis,& linguæ artifex,disertè loqui non potest? Imò verò summa providentia carere voluit fuco ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent,quæ omnibus loquebatur.* Chrysostomus: [s] *Philosophi scriptis suis obscuritatem, tanquam velum quoddam indiderunt: Apostoli autem & Prophetæ omnia contra fecerunt,manifesta claraq;,quæ prodiderunt, exposuerunt nobis, veluti communes orbis doctores, ut per se quisq; discere possit ea, quæ dicuntur,vel sola lectione.* r Lib:6. cap: 21. s Hom:3.de Lazaro.

Hæc Patres de Scripturæ perspicuitate: in qua sunt quidem aliqui obscuriores loci: tamen, ut rectè monet Augustinus, [t] *In iis, quæ apertè in scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem,moresque vivendi.* Addit: *Ex illis obscuritatibus nihil ferè eruitur, quod non planißimè dictum alibi reperiatur.* Vt verò tecum ingenuè agam, dico, quòd Scripturæ perspicuitatem ita agnoscimus, ne tamen donum interpretationis aspernemur: Quæ itaque de Spiritu S., sensum aperiente, & precibus, quibus verbi intellectus à Deo petatur, subjicis, libenter admittimus. [u] *Ipse enim Deus legem suam indit visceribus nostris.* t De Doctr: Christian: lib:2. c:9. cap: 6. u Hier:31. ℣: 33.

Blasphemus verò Smigleci es,dum scribis,*absurdum esse, & ab omni ratione alienum,mutum judicem constituere,qui,nihil loquens,sententiam ferat, & qui partibus potestatem ad libitum loquendi tribuat.* An verbum Dei,&Spiritus S.,in eodem loquens,tibi judex mutus? Atqui vivus est sermo Domini, mutus non est, sed loquitur; non quidem ut homo, sed ut lex. Audi Christum: [x] *Est Moses, qui vos accusat.* Si ergo Moses (id est scripta ipsius) accusat, loquitur ergo. Audi & reliquos. Nicodemus apud Ioannem: [y] *Num lex nostra condemnat quenquam.* Ipse verò Ioannes: [z] *Alia Scriptura dicit.* Quin etiã Paulus: [a] *Lex iis,* inquit,*loquitur,qui sunt in lege.* [b] *Quid Scriptura dicit. Os,* legi tribuitur. *Deut:17. v:11.* Pagninus transtulit, *ex ore Legis.* Λόγ☉ etiam ubique, adeò, ut eos impudentes esse constet, qui vocem sermonemque Scripturæ detrahunt. Non est itaque Smigleci, Scriptura mutus judex, nec tribuit partibus potestatem ad libitum loquendi, sed omnibus Hæreticis, sola Scriptura ora obstruit,quemadmodum Christus Sadducæis dicens: [c] *Erratis, nescientes scripturas neque virtutem Dei.* Quæ verò de Repub: dicis, contra te potiùs faciunt. Quemadmodum enim in omni benè constituta Repub: non principis privatum arbitrium, sed ipsa lex, supremus judex est, secundùm quam princeps judicare tenetur, Scriptura loquitur,non ergo mutus judex. Heb:4. Quomodo Scriptura loquitur. x Ioan:5. ℣: 45. y Ioan:5. ℣:57. z Ioan:19. ℣:37. a Rom:3. ℣:19. b Rom:4. ℣. 3. Scripturæ tribuitur Os &Sermo. Os hæreticis obstruit. c Mat: 22. ℣: 29. Lex, mortalium rex.

d Apud Plutarchum de Regno.
e Ethic: lib: 10. cap:4.

dicente Pindaro: [d] *Lex mortalium omnium rex, quæ imperat imperantibus*. Et Aristotele ita scribente: [e] *Qui legem*, inquit, *præesse jubent, videntur Deum jubere præeße: qui autem hominem, bestiam: quippe libido obliquos viros agit, etiam optimos: ita ut interitum paratum esse civitati videam, in qua non lex magistratibus, sed legi imperant magistratus*. Sic in Ecclesia supremus judex est sacra Scriptura, ex cujus arbitrio & decisione Ecclesiarum præsides judicare debent, ita jubente Deo, *Deut:* 17. *v:* 10. *Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegit Dominus, & docuerint te IVXTA LEGEM EIVS*. Bene Clemens Alexandrinus: [f] *Inanis est*, inquit, *hic prætextus, volentibus enim licebit invenire veritatem: Scripturâ judice utimur ad res inveniendas: nihil creditur, priusquam fuerit judicatum, quare non est principium illud, quod opus habet judicio: meritò igitur cum fide comprehendimus principium indemonstrabile, & ab eo demonstrationes sumimus veritatis: non enim enunciãtibus hominibus absolutam fidem adhibemus, quibus licet enunciare contrarium, sed voce Domini probamus, quod quæritur, Quæ est magis digna, quàm quævis demonstratio, vel potius, quæ est sola demonstratio.*

Sic Scriptura.

f Lib: 7. Strom: pag: 156.

Instantiæ ergo nostræ, maturè ut occurras, pergis. *Ajunt Evangelici. Vos ergo hominem pro judice statuere vultis? Minimè, sed falsarum interpretationum hominem judicem constituimus*. Non agis candidè, Smigleci. Nam non tantùm interpretationum, sed & ipsius Scripturæ, hominem judicem statuitis. Si enim ob authoritatem Conciliabuli Tridentini, cujus Papa caput fuit, inter Canonicos, Apocryphi libri nobis obtruduntur, statuitis ergo hominem Scripturarum judicem, eumque talem, à quo libri, nunquam pro Canonicis habiti, Canonicam accipiant authoritatem. Facitis Papam Scripturæ judicem, qui judicia vestra pessima, de sacrosancto Dei verbo lata, approbat: nempe Scripturam esse, gladium Delphicum, Elementum egenum, Nasum cereum, &, (ne mihi prætermissus videaris) librum Hæreticorum. Tale, quod in Scripturam evomitis virus, cùm Papa in scriptis vestris approbet, & exosculetur, quò tyrannis ipsius in Ecclesiam sarta tectaque maneat, non tantùm Scripturæ judicem, sed pessimum etiam judicem se facit. Eundem facitis malarum interpretationum judicem, cùm tamen ipse ineptas, ridiculas, ne dicam, pessimas interpretationes scripturæ, in Ecclesiam invexerit, & in scriptis adulatorũ suorũ approbaverit. Exempli gratiâ, ex multis, hæc pauca delibabo. Gen:1. [g] *Fecit Deus duo luminaria magna. Luminare majus est Papa; Luminare minus Cæsar. Ergo Pontificalis dignitas quadragesies septies major est Imperatoria dignitate.*

Papa homo à Pontificiis judex statuitur supremus.

Papa quomodo interpretatur Scripturam.
g De Majorit. cap: Solitæ in Glossa.

tate. Psalmo 90. Qui habitat in adjutorio altissimi. Super Aspidem & Basiliscum ambulabis, & non nocebunt. Ergo Pontifex potest colla Imperatorum calcare, quod fecit Alexander tertius Venetiis, ad cantũ hujus Psalmi Friderici Barbarossæ Imperatoris pedibus collũ ad terrã adigens. Esa:10. [h] *Quid facietis in die visitationis, Ad quem confugietis pro auxilio, & ubi relinquetis gloriam vestram?* Ergo Romana Ecclesia est caput & auxilium omnium, quæ debet omnes judicare, à nemine judicanda. *Ieremiæ 1. Ecce constitui te super gentes, ut evellas & destruas.* [i] Ergo omnes Reges & Monarchæ, sunt vasalli Romani Pontificis, & ipse potest extollere & deprimere quem velit. [k] *Creavit Deus hominem ad imaginem sui. Signatum est Domine lumen vultus tui. Dilexi decorem domus tuæ. Ostende mihi faciem tuam. Nemo ponit candelam sub modio.* Ergo imagines in loco eminenti sunt collocandæ, & venerandæ. [l] *Data est mihi potestas in cælo & in terra.* Ergo Papæ infinita potestas collata est. [m] *Ecce duo gladii.* Ergo Ecclesiæ collata utraq; potestas. Quid plura? Augiæ stabulum facilius perpurgarem, quàm istas, tam putidas sacræ scripturæ detorsiones, enumerarem. Porrò, ut huic quæstioni, scilicet, colophonem imponas, ostendere vis, cujus sit de vero sensu decernere. Quod si quæratur à vobis. Respondendum dicis, *non cujus libet, sed eorum, supra quos ædificata est Ecclesia, quiq; claves regni cælorum tenent.* Quæro, supra quos ædificata sit Ecclesia. Supra Petrum, & ejus successores, te judice. Papam igitur Romanum supremum judicem facis. Quod tibi minime concedi potest. Supremi enim judicis requisita hæc sunt. 1. Ne possit errare. 2. Vt ab eo provocare non liceat. 3. Ne sit partialis. 4. Vt ad assentiendum corda flectere possit. Horum requisitorum nullum in Papam cadere potest. Nam *Primò*; Papa errare potest, vestris etiam nonnullis assentientibus. Ita enim Æneas Sylvius, qui postea Pius secundus dictus: [m] *De Romanis Pontificibus liceret exempla admodum multa adferre, si tempus sineret, quoniam aut Hæretici, aut aliis vitiis imbuti fuerũt.* Alphonsus de Castro: [n] *Omnis homo errare potest in fide, etiamsi sit Papa.* Idem. *Non credo aliquem esse tam impudentem* (fefellit te opinio tua Alphonse, ecce noster Smiglecius talis) *Papæ aßentatorem, ut ei velit hoc tribuere, quod in interpretatione scripturarum hallucinari non poßit. Nam cùm constet, plures eorum esse tam illiteratos, ut Grammaticam pænitùs ignorent, quî fit ut sacras literas rectè interpretari poßint?* Cardinalis verò Cusanus: [o] *Papa*, inquit, *potest esse Hæreticus, & tum unusquisq; Laicus tenetur se ab illo separare, & per ipsam separationem dicit illi anathema.* Quin & ipse Adrianus Papa, [p] *Certum est*, ait, *Pontificem Romanum errare poße in*

h *Causa 9. Qu. 3. Can: Aliorũ.*

i *De Majoritate cap: Solitæ.*

k *Concil: Nicæn. 2.*

l *Liber Cerem.*

m *In Extravag. Vnam Sanctam.*

Papa non est supremus judex. Supremi judicis requisita.

Papa potest errare.

Testimonia.

m *Lib: 1. de Gestis Concil: Basil.*

n *Lib: 1. cap: 4. cont: Hær.*

o *Lib: 2. de Concor: Cathol: c: 27.*

p *In 4. Sent: de Sacr: Confirm: Art: ult.*

poſſe in fide: quoniam alii aliis in rebus erraverunt, in hac Iohannes iſte.

Rationes.

q *Platina in Vita horum Pontificum.*

Id etiam evincitur his rationibus. Si Papæ Paparum decreta abrogant, quemadmodum [q] *Stephanus Formoſi acta reſcidit;* & ſi alii alios execrantur, quemadmodum Leo ſecundus execratus eſt Honorium, quod ſedem Apoſtolicam ſuâ Hæreſi contaminaſſet. Item. Si Papa Papam Hæreticum agnoſcit, quemadmodum [r] Adrianus ſextus eundem Honorium Hæreticum eſſe agnoſcebat: Siq; quidam Paparum, [ſ] qualis fuit Paulus ſecundus, à literis ſunt prorſus alieni, ſequitur illos in fide & interpretatione errare poſſe: aut hos, qui aliorum acta immeritò reſcindunt, ſuosq; Anteceſſores execrantur: aut illos, quorum acta reſciſione & execratione digna evaſerunt.

r *Bellarminus lib: 2. de Concil: cap: 19. & de Rom: Pontifice cap. 11.*

ſ *Platina in Vita Pauli ſecūdi.*

Gnathones Pontificis.

t *Gregorius de Valentia Analyſi fidei lib: 8. cap: 3.*

u *Dominicus VVrigth.*

x *De Incert. gratia lib: 9. ca: 14.*

Quàm ergo ſunt riduculi, veſtri Gnatones Pontificis, qui dicunt: [t] *Sive Pontifex in definiendo ſtudium adhibeat, ſive non, modo tamen controverſiā definiat, infallibiliter certè definiet.* Et, [u] *Quamvis Papa in præmiſſis erraverit, tamen cùm ad concludendum pervenerit, ad extremum ſcopum ipſum pertingat neceſſe eſt.* Quanto rectius Vega: [x] *Media fallibilia, manifeſtum eſt, præſtare certitudinem non poſſe, cui non poſſit ſubeſſe falſum: nam effectus, nequit cauſam ſuam excedere, & concluſio certior eſſe non poteſt Præmiſſis.*

A Papa licet appellare.

Secundò. Papa ſupremus eſſe judex non poteſt, quia à Papa ad alium judicem appellari poteſt, quemadmodum Donatus, à judicio Melchiadis Papæ, in cauſa ſua cum Cæciliano, ad Imperatorem appellavit, qui hanc cauſam, poſt judicium Melchiadis, Arelatenſi Epiſcopo judicandam commiſit. Teſte Auguſtino *Epiſt: 162.*

Papa judex partialis.

Tertio. Quia Papa eſt judex partialis: tantum enim pro vobis, qui ſedis ipſius fulcra eſtis, judicat, nos verò innocentiſſimos, nullo jure, ſed ſummâ injuriâ, inauditos etiam, condemnat.

Papa non poteſt flectere corda.

Lactantius lib. 5. de Iuſt.

Quartò. Quia Papa corda ad aſſentiendum, flectere nequit. Corpora quidem, quàm latè patet tyrannis ipſius, ad fidem ſuam cogit, ſed conſcientias cogere nequit. Fides autem per vim impoſita, fides non eſt, ſiquidem fides ſuaderi debet, non imponi.

y *Act: 16. Et Conſtantinop. 1. Can: 5.*

z *De geſt: Concil: Baſil.*

Parvus reſpectus ad Eccleſiam Romanam.

Quæ cùm ita ſe habeant, nullo jure *ad Papam nobis, tanquam ſupremum judicem, recurrendum eſſe dicis.* Vt enim, ſine hoc capite, ſexcentos, & amplius annos, poſt Chriſtum, Eccleſia fuit, ita ſine judicio ejuſdem multa ſunt in Eccleſia cummuni conſenſu Epiſcoporum ſaluberrimè conſtituta, invitâ etiam ſede Romanâ. Nam in [y] *Concilio Chalcedonenſi,* Conſtantinopolitanus Patriarcha Romano Pontifici inprimatu honoris exæquatus eſt. Et, ut ſcribit Æneas Sylvius, [z] *Ante Concilium Nicænum non magnus reſpectus ad Romanam Eccleſiam habebatur.* Sed ut abſurditas ſententiæ veſtræ omni-

bus sit conspicua, subjiciam verba Erasmi, qui certè graviter: [a] *Quid opus est*, inquit, *Conciliis? Quorsum tot Theologi accersuntur? Quorsum attinet tot Academias, in tractandis fidei negotiis, distorqueri? cùm ex uno pontifice quid verum sit, audire liceat.*

a In 1. Cor: 7.

Vt autem tibi sententia nostra de judice controversiarum penitius cognita sit, Scito, quod sic distinguamus. Iudex est vel Supremus, vel Inferior. Supremus est, in quem illæ quatuor conditiones superius positæ cadunt: Talis est Deus, Christus, vel, quod idem est, Spiritus sanctus in scripturis loquens. Rectè Augustinus: [b] *Ista*, inquit, *controversia, quærit Iudicē. Iudicet ergo Christus, judicet cum illo Apostolus, quia & in Apostolo ipse loquitur Christus*. Idem alibi: [c] *Quid facimus? controversiam istam, velut judices, audimus? Absit, Imo sub Iudice constituti pulsemus, ut nobis aperiri impetremus, fugiamus sub alas Domini nostri*. Inferior judex, est vel Publicus, vel Privatus: Publicus, qui authoritatem docendi publicam habet. Hic autem, aut unus sigillatim, aut plures, in Concilio, in Presbyterio, in colloquio congregati. Rursus hi publici inferiores Iudices, aut sunt Immediatè vocati, quales fuêre Prophetæ, & Apostoli. Hi in judicando errare non poterant, quia acti à Spiritu S. loquebantur. 2. *Petri* 1. *v*: 22. Ideoque Scripta illorum sunt divinitùs inspirata. 2. *Tim*: 3. *v*: 16. Alii sunt mediatè vocati, ut Episcopi, Pastores, Doctores, qui juxta legem Dei judicare tenentur, à quâ si vel latum unguem deflexerint, errare possunt. Privatus judex est unusquisque fidelium. Fideles enim pro se de doctrina judicare, non tantum possunt, sed etiam debent. Ita enim alloquitur ipsos Spiritus S. [d] *Quasi intelligentib⁹ loquor, vos judicate*. Etsi tenentur sequi vocem Christi, alienam verò fugere, necesse est, ut exacto judicio cognitam habeant: [e] *Oves meæ*, inquit Christ⁹, *vocem meam audiunt*. [f] *Alienum non sequuntur*. Iubentur ergo auditores [g] *omnia probare, quod bonum est, tenere*. Id verò sine discretivo & approbativo judicio fieri nequit. Hinc tale præconium obtinuerunt Beroënses à Spiritu S. [h] *Erant generosiores cæteris Iudæis, scrutantes quotidiè in scripturis an hæc ita se haberent?*

De Iudice controversiarum Orthodoxa sententia.

b Lib: 2. cap: 33. De Nuptiis & concupiscentia.
c Serm. 16. de Verbis Domini.

Auditores judices quales.

d 1. Cor: 10. v: 15
e Ioan: 10. v: 27.
f v: 5.
g 1. Thes: 5. v: 4.
h Act. 17.

Quod itaq; de indubitata, & certa regula vestra scribis, nullius ponderis est. Si enim Evangelici eam sequerentur, quam vos secuti estis, in baratrum Idololatriæ, ac gurgitem superstitionum, darent se præcipites: qui Ministris, legitimè ab Ecclesia ordinatis, credunt, non propter illorum solam externam ordinationem, aut aliquas animi dotes, sed quòd ea, quæ dicunt, scripturis apertis muniant. Verbum autem Dei neminem fallere potest, quin illud ipsum

Regula Pontificiorum incerta.

psum solum est, in quod ultimò resolvitur fides nostra, dicente Paulo: [i] *Fides ex auditu. Auditus per verbum Dei.* Sacerdotes verò vestri, quoniam non juxta Analogiam fidei, sed sensu ac judicio Romani Pontificis, scripturas interpretantur, easq; ut dicit Cusanus, [k] *tempori & praxi in Ecclesia Romana currenti, adaptare volunt, ideò à scopo aberrant.* De Ecclesia an errare possit, si Deus voluerit, postea tecum agam. Hîc tantùm hoc dico. Si Episcopi singuli, si Concilia, quæ sunt repræsentativa Ecclesia, si etiā ipse Papa errare potest. Sequitur Ecclesiam errare posse, Antecedens supra ex parte probatum est, & deinceps per Dei gratiam abundè probabitur. De veritate itaq; consequentis cordatus nemo dubitabit.

[i] *Rom: 10. v: 17.*

[k] *Ad Boemos Epist: 2. pag: 832. & 835.*

An Ecclesia errare possit.

Quod verò nobis de Augustana confessione toties recocta, objicis, dilutum est. Non enim est novum in Ecclesia, librum aliquem in uno aut altero verbo corrigi. Augustinus scripsit libros Retractationum, in quibus errores voluminum suorum correxit. Lutherus autem nullam suam inconstantiam agnoscit, sed profectum, qui successivè in ipso major fuit, modesteque sua ita legi postulat, [m] *ut lectores meminerint, ipsum fuiße aliquando Monachum,* qui tam subitò totam superstitionum ac errorum crapulam, quam in cucula hauserat, exhalare non potuerit.

Augustana confessio.

Lutheri constantia.

[m] *In Præfat: Tom: suorum.*

Quæ etiam de vestra concordia buccinas, vana sunt omnia, quippe cùm sciamus vos, non vinculo spiritus, sed externa vi, & metu pænarum, in exteriori concordia retineri. Liberam si vocem, ut decet in Repub: libera, haberetis, non deessent Monachi, qui ob ereptum sibi à vobis bolum, præreptamque gloriam, vobis Iesuitis minimè parcerent, & proculdubiò illud bellum inter Dominicanos, qui tacere coguntur, & Franciscanos, de Conceptione B. Virginis, denuò recrudesceret. [n] *Speciosum quidem nomen pacis, & pulchra opinio unitatis,* inquit Hilarius. Sed idem rectè, eam solùm Ecclesiæ & Evangeliorum unitam pacem esse indicat, quæ Christi est, Siquidem, teste Ambrosio, [o] *Pietatis unitas est rectè credere, unitas impietatis malè credere.* At, judice Nazianzeno, [p] *Melius est dissidium, pietatis causa ortum, quàm vitiosa concordia.* Quanquam (celebretur nomen Domini) tot nationes diversæ, quæ reformatam religionem amplexæ sunt, in illis, quæ circa principium, subjectum, objectum, adjunctum, fidei, versantur, unius sunt labii, quod Harmonia Confessionum abundè testatur. Ritus verò & ceremoniæ, ut semper in antiqua Ecclesia observatum fuit, cuique Ecclesiæ, prout ædificatio id requisiverit, liberè relinquuntur. *Tota enim,* ut

Concordia Pont. qualis.

Pax & unio.

[n] *Contra Aux.*

[o] *Ambr: de litera & Spiritu.*

[p] *Orat: de Pace.*

inquit Augustinus, *pulchritudo filiæ Regis ab intus, extrinsecus circumamicta varietate.*

Cùm itaq; Smigleci Ministri Evangelici traditiones humanas rejecerint, Apocrypha, à Canonicis scriptis, discreverint, Solos Canonicos libros, pro vero & indubitato Dei verbo, retinuerint, à quo & ne latum quidem unguem discedere volunt, & se suaq; judici supremo controversiarum, videlicet Spiritui sancto, in scripturis loquenti, subjiciunt, relinquitur ergo illos solos veri & genuini verbi divini Ministros esse.

Ad Demonstrationem nonam, & Caput tredecimum, responsio.

Ministri Evangelii adferunt Evangelio dignum fructum, hoc est vitæ sanctimoniam.

Hunc fructum non adferunt Ministri Evangelici. Ergo.

Non sunt veri Evangelii Ministri.

Turpitudo morũ in disputatione non objicienda.

Si verus, & legitimus sanctorum Patrum, filius esses, ab hoc Argumento pedem retulisses: [q] *Nullus enim unquam Catholicorum,* teste Hieronymo, *turpitudinem morum objecit ei, adversus quem disputabat:* Sed cùm transiveris in castra Hæreticorum, *quorum semper mos fuit,* ut inquit Augustinus: [r] *Crimina objicere doctoribus, cùm doctrinam reprehendere non poßent,* minus miror te in nos probrorum plaustra conjicere. Maledictis tecum, Smigleci, non certabo, velim enim esse vestri quàm dissimillimus, quippe cùm Christus exemplo suo me docuerit non remaledicendum esse. Contumelias tantùm à nobis modesto responso repellam, & efficiam, ut, si quam voluptatem, ista contra nos scribendo cæpisti, eam nostra legendo, amittas. Ad tuam ergo Demonstrationem devenio: Cujus major non est universaliter vera. Aliqui enim veri verbi Dei Ministri non semper adferunt fructum verbo divino dignum, dicente Christo: [s] *Super cathedram Mosis sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis facite & servate; secundùm verò opera ipsorum nolite facere.* Ne verò solos Pharisæos tales esse putes, lege [t] Platinam, qui ex Eusebio refert, *maximam persequutionem sub Diocletiano divinitùs Ecclesiæ immißam fuisse, propter depravatos Christianorum, maximè verò Ecclesiasticorum, mores.* Idem queritur Chrysostomus, &

q Lib: 3. Apol. contra Ruffin.

r Epist. 137.

Non omnes verbi Dei Ministri afferunt fructum dignum Evangelio.

s Mat: 23. v: 2.

t In Vita Marcelini.

mus,& Basilius apud Episcopum Espensæum. Coment:in Tim:pag: 316. Os verè aureum Chrysostomus:[u] *Non temerè*,ait,*dico, sed ut affectus sum,& sentio. Non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salvi fiant; Imò miror si aliquis salvari possit.* Sequitur Chrysostomum suus colloquutor Basilius,qui sui temporis statum exponit: *Evanuit omnis sacerdotalis honestas.* Tu tamen Majorem Demonstrationis ac si universaliter veram probare conaris.

u *Hom:3. in Acta,& Hom:ult. ad Hæbreos.*

Sub finem opusculi de Spiritu sancto.

Fructus duplices doctrinæ & vitæ.

Falsos Prophetas, inquis,*jubet dominus ex fructibus eorum cognosci.Matt.7.* Ita est Smigleci. Sed fructus sunt duplices; Doctrinæ videlicet & vitæ. Ex fructibus vitæ Pseudoprophetæ cognosci non possunt. Rationem habes ex Chrysostomo:[x] *Quia omnes species justitiæ, quas habet servus Dei inveritate, habere possunt servi Diaboli in similitudine.Habet Diabolus suos castos, jejunos,eleëmosinarios:& simplices homines,qui boni,veri, & simulati differentiam non norunt, dum quærunt bonos viros,incurrunt in seductores diaboli.* Agnovit hoc & vester Bellarminus; [y] *Certum est*, inquit,*ex operibus ipsorum hominum, qui nos docent, non posse cognosci doctrinam, cùm opera interna non videamus,externa autem sunt communia utrisq;, & propterea comparantur vestimentis ovium,quibus lupi se quoq; tegunt.* Ex fructibus itaq; Doctrinæ, falsi Doctores faciliùs cognosci possunt. Ita enim Ignatius:[z] *Omnis*, inquit, *qui dixerit, præter illa quæ tradita sunt, tametsi fide dignus sit, tametsi jejunet,tametsi virginitatem servet, signa faciat,prophetet,lupus tibi appareat in grege ovium,corruptionem operans.* Vidit hoc Stapletonus, qui ita scribit:[a] *Per fructus hoc in loco intelligit dogmata,quibus falsi Doctores,à veris dijudicantur,ut Patres exponunt.* Rectè itaq; consulit Chrysostomus:[b] *Si videris hominem Christianum, considera, si confessio ejus conveniat cum scripturis: si sic, tum verus est Christianus.*

x *Hom: in Mat. 2.*

y *Lib:5. de libero arbit: cap:10.*

Ex fructibus doctrinæ Doctores judicandi.

z *Epist. ad Heronem.*

a *Lib. de principiis doctr. cap.1.*

b *Hom. in Mat. 7.*

Locus Pauli.

Adducis locum Heb:4.*Vivus est sermo Dei.* At in superiori Demonstratione Sermonem Dei mutum judicem, id est,mortuam literam vocasti, quî ergo tibi constas, Smigleci? Ego verò summam virtutem verbi Dei, quòd in corda electorum agit, adoro: illud tamen tibi minimè concedo, quòd homines in carne, supra carnem, angelicam vitam vivant; Quoad enim carnem mortalem, & affectibus obnoxiam, gestamus, semper caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem,quâ luctâ manente, necesse est in membris nostris sentiamus legem, captivantem nos legi peccati.Castigabat Paulus carnem,& in obsequium spiritui subigebat,interim tamē de se:[c] *Scio*, inquit,*quia non habitat in me,hoc est,in carne mea bonum.Nam velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Edomabat

Homines in carne angelicam vitam vivere nequeunt.

ExemplumPauli.

c *Rom:7.v.18.*

Hieronymi.

mabat carnem ciliciis & asperitatibus Hieronymus, quid tamen de se dicat, attende:[d] *O quoties ego ipse, in Eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum Monachis præbet habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia & squalida, cutis situm Ætyopicæ carnis obduxerat. De cibo verò & potu taceo, cùm etiam languentes, aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum, tali me carceri ipse damnaveram, ubi scorpionum tantùm sonus & ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens desideriis æstuabat, in frigido corpore, & ante hominem suum, jam carne præmortua, sola libidinum incendia ebuliebant.* Si Hieronymus, in eremo, tam rigidè carnem domitam volens, id tamen sensit: Angelicamné vitam vos vivitis, in populosissimis urbibus manentes, benè saginati, & cum mulierculis, in confessionibus, de iis, quæ pruritum libidinis excitent, frequenter colloquentes?

d *Epist: ad Eustochium.*

Stramineo itaq; fundamento substrato, jam nos in arenam provocas, & tuam Minorem confirmare conaris, nempè quòd Evangelici Ministri, dignum fructum non afferunt Evangelio. Id verò quâ ratione? *Quia*, inquis, *consilia Christi, nullus illorum sequitur. Nullus vadit & vendit omnia, ut det pauperibus, voluntaria paupertas est ipsis superstitio.* Consilium, Smigleci, Christus nullum tale dedit, sed adolescentem, qui se omnia, ab adolescentia, fecisse superbè gloriabatur, illis verbis, *Matth.* 19. ℣. 21. propriæ imbecillitatis admonuit. Si enim Deum ex tota anima, & proximum ut seipsum dilexisset, nunquam tanto amore divitiarum teneretur. Audi Cajetanum:[e] *Attende prudens lector, quod nullum votum à Iesu præscribitur, volenti vitæ perfectionem aßequi; quia non in vinculis votorum, sed in operibus perfectionis, consistit aßequutio.* Quin nec Apostoli, quamvis se omnia, Christi causâ reliquisse dicant, cum mantica mendicaturi ostiatim ambulabant:[f] *Petrus enim habuit domum, socrum, uxorem, filiam:*[g] *Philippus domum & quatuor filias prophetantes:*[h] *Iohannes verò beatam virginem recepit in sua*, quod facere minimè potuisset, si se omnibus facultatibus actu abdicasset. Affectu ergo omnia reliquerant, omnes facultates amittere parati, si Christi causa, id postularet. Sic Evangelici, Apostolos imitati, omnia relinquere sunt parati. Solidè certè distinguit Aquinas:[i] *Abrenunciatio propriarum facultatum, dupliciter consideratur. Vno modo, ut est in actu, sic in ea non consistit eßentialiter perfectio, etiam nihil prohibet, statum perfectionis eße, sine abrenunciatione propriorum. Aliò modo, secundùm præpara-*

Consilia Christi.

e *Comment: in Mat: 19.*

Apostoli quomodo reliquerunt omnia.

f *Luc: 4.* ℣: *38.*
g *Act. 21.* ℣: *8.*
h *Ioan: 19.* ℣: *16.*

Evangelici itidem.

i *2. 2dæ q. 184. Art: 7.*

parationem animi, ut nimirum homo sit paratus, si opus fuerit, omnia dimittere, vel distribuere, & hoc pertinet directè ad perfectionem, ut ex Augustino patet. Nec vos Iesuitæ pauperibus vestra distribuitis, quin potius, in hunc finem, consilia ista, & voluntariam paupertatem, hominibus commendatis, ut ex eorum substantia, inter vos distributa, ditissimi Monachorum evadatis. Estis itaq; ut quidam non invenustè dixit: Pauperes, sine defectu; humiles, sine despectu; vereor, ne beati, sed absq; regno cælorum.

Iesuitæ sua pauperibus non distribuerunt.

Pergis, Smigleci, *Castitatem perpetuam Evangelici dicunt, servare esse impossibile.* Certè huic impossibile, cui hoc donum à Deo denegatum est. Ita enim, inquit Solomon: [k] *aliter non possem esse continens, nisi Deus det & hoc ipsum.* Nam castitas vera, non in carne sola, sed in mente, potissimùm residet, quam non servant castam, qui incendio libidinis intus æstuant. Rectè Ambrosius: *Corporis*, inquit, *castitatem admiramur, propter animi sanctitatem.* Item Augustinus: [l] *Sicut nemo impudicè utitur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia, ita nemo pudicitiam servat in corpore, nisi prius insita castitate.* Nec non Hieronymus: *Nihil prodest carnem habere virginem, si quis mente nupserit.* O quam multi inter vos mente minimè casti, ubi ad examen, circumstantiarum omnium, in confessione auriculari, ventum fuerit!

Castitas servatu cui possibilis.

k Sap: 8. v: 21.

Sedes vera castitatis.

l De Virg. cap. 8

Sed ut personæ & doctrinæ Lutheri turpitudinis notam inuras, scribis: *Lutherum publicè docuisse, mulieris usum, ita esse cuiq; necessarium, ut escam & potum: & illud pudendum pronunciasse; Si non vult uxor veniat ancilla:* Si ista Lutherus, ut vos apud imperitum vulgus spargitis, absolutè pronunciasset, videretur in schola vestra id fuisse edoctus: [m] Clemens enim Romanus (quod tamen sancto huic Pontifici, ut aliis, decretales Epistolas, falsò affictum esse credo) approbat sententiam Græcorum sapientissimi, qui dixit: *Amicorum communia debere esse omnia, in omnibus autem, sine dubio, etiam conjuges contineri.* In jure etiam Canonico per expressum habetis: [n] *Qui non habet uxorem, loco ipsius, habeat concubinam.* Sed Lutherus verba hæc, *Si nō vult uxor, veniet alia*; alio certè fine, quàm ut cuiquam fręna, ad turpitudinem laxaret, suo cuidam libello inseruit. Scripsit de Matrimonio Lutherus libellum, cujus in secunda parte, causas tres commemorat, quibus dissolvi conjugium posse arbitratur. Prima est impotentia; altera adulterium; tertia desertio. Desertionem autem interpretatur, quando uxor pertinax, & obstinata, induci nullo modo potest ut debitum benevolentiæ officium viro persolvat, aliquas enim tam importunas uxores reperiri, ut quanquam

Lutherus ab obscenitate objecta defenditur.

m Epist: 5.

n Dist: 34. Can: Is qui.

maritus decies in libidinem prolaberetur, id tamen minime curarent. Quare Lutherus, id viro oportunum esse putat, ut uxorem verbis terreat, istoq; modo minitetur: *Si tu nolueris alia volet: Si domina nolit adveniet ancilla.* Quæ si minæ parum valent, apud alios ipsam accuset, & rem ad Ecclesiam deferat. Iam verò si nec privatis comminationibus, nec publicis Ecclesiæ reprehensionibus, commovetur, tum Lutherus inquit; Repudia eam, & in locum Vasthi, surroga Esther. Quid peccavit Lutherus? Nulli habenas ad libidinem laxavit; sed consultus, quâ ratione uxores, quæ Zelotypia plerunq; ducuntur, in officio conjugali retinendæ essent, suasit. Vos potiùs vestris Ecclesiasticis, non tantùm libidinem permittitis, sed hanc turpitudinem utroq; jure munitam voluistis: Ius enim Canonicum habet: [o] *Si maritus deprehenderit sacerdotem amplectentem conjugem, interpretabitur, quod causâ benedicendi eã, faciat.* Speculum verò Saxonum: [p] *Si ergo cum aliqua muliere concubuerit sacerdos, ipsa est veræ sponsæ, id est, Catholicæ Ecclesiæ, filia.*

o *Causa 11. Quæ 3. in Glosa. fol. 263.*

p *Lib: 3. Art. 45. in Glosa.*

Evangelici ad rescindendam fidem neminem sollicitant.

Injuria ergo nos afficis, Smigleci, dicens: *quòd ad rescindendam fidem eos, qui se ad castitatem voto obstrinxerunt, solicitemus.* Id enim minimè facimus. sed iis, qui mole conscientiæ pressi, ad nos confugiunt, id consilii damus, ut *in turpi voto, stultè videlicet, & supra vires, suscepto, rescindant fidem. Quod incautè voverunt, ne faciant; Improba est enim promißio, quæ scelere,* id est, pollutione, scortatione, adulterio, incæstu, sodomitica, *adimpletur. Multi enim Clerici & Monachi,* ut inquit Pius secundus, *in matrimonio salvarentur, qui in sterili cælibatu damnabuntur.* De Connubio Lutheri tibi responsum est supra. Vnum moneo, Smigleci, noli tam sæpè Luthero uxorem exprobrare, cùm non desint vobis vestræ Veneres, quibus, si non castè, tamen cautè abutamini: Hæc enim de vobis refert, inter vos educatus, qui secreta penitiùs noverat, Helias Hansenmuler: [q] *Nota est,* inquit, *Landspergentium cælibatus castitas, in quo coquas, habitu jesuitico indutas, extra jejuniorum tempora, habent.* Nota est virginitas Iesuitarum Augustanorum, *inter quos Iesuitica infantem jactare visa est.* Quid quod in Bavaria palàm ferũt; *Iesuitas dolium in collegium subvexiße, è cujus fundo effracto, meretrix in publicas plateas prolapsa sit.* Domesticis exemplis abundamus, sed auribus, & honori, sit honos. Nec in novo orbe, in quo miracula facitis, sanctiores estis: Ita enim de vobis scribit vestræ Societatis à Costa. [r] *Præclarè ageretur cum rebus Indorum, si Sacerdotum ea sanè modestia eßet, ut non solutioris vitæ licentiam quærerent. Neque enim diaboli laqueos effugiunt, fœminarum consortia.* Iure ergo in vos quadrat illud, Origenistis ab Epi-

Iesuitarum castitas.

q *In Hist: Iesuit. ord. fol: 102.*

In Eorupa.

In novo orbe.

r *De procur: Indorum salute lib: 4. cap: 15.*

f Har: 63.

ab Epiphanio objectum: f *Rejiciunt nuptias, & non cessat apud ipsos libido. Non enim student castitati, sed simulatæ castitati & nomen saltem habent.* Ergo, ut quidam de vobis, vestrique similibus, facetè dixit: *Vovistis paupertatem in balneo, obedientiam ad mensam, castitatem tantùm ad altare.*

Iam alia ratione probare vis Evangelicos non afferre fructum dignum Evangelio. *Multos,* inquis, *Sanctorū fecit admirabiles pænitentia & asperitas vitæ.* Vel potiùs, Sm:, gratuita Dei misericordia: t *Beatus enim,* (inquit) *David, cui Dominus non imputavit peccatum.* Et rectè Augustinus: *Deus neminem eligit dignum, sed dignum facit eligendo.* Quid tamen hinc colligis? *At ex tanto,* inquis, *numero Evangelicorum, nullus auditus est, qui illam admirabilem sanctorum pænitentiam imitatus sit. Nullus, Ioannis exemplo, in desertum se contulit,* &c. Idem Smigleci de vobis Lojolæ discipulis dici potest. Nullus enim vestrum in desertum abjit, nullus cilicio induitur, nullus oleribus victitat. Sedes vestras, in urbibus populosissimis figitis. Arces potiùs, quàm monasteria habitatis, splendidè, ut apparatu Magnificos æquetis; vivitis, adeò, ut non sine causa Serenissimus, & æternâ memoriâ dignissimus Rex, delicias vestras admiratus, ea verba protulerit: Ni Rex essem, Iesuita essem. Dices: *Vobis per leges instituti vestri, non licere id.* u *Cùm enim,* ut refert Rhibadeneira, *quidam delectissimis Lojolæ sociis, admiratione cujusdam Eremitæ Itali captus, dubitare cæpit, foretné Deo gratius, ac sibi utilius, Iesuiticam vitam vivere, an Eremiticam, non solùm à Lojola reprehensus est, dicente: Modicæ fidei, quare dubitasti, sed etiam divino armati viri spectro, perterritus est.* Ego verò dico, nos per legem Christi id facere non posse. Non enim in eremo preculas demurmurantibus, aut cum Sathana colludentibus, sed officia charitatis exercentibus, vitam æternam Christus pollicetur: x *Esurivi, & dedistis mihi manducare,* &c. Christus quidem, & Ioannes Baptista, certas ob causas, aliquantisper in deserto vixerunt, sed nullum discipulorum, ad id genus vitæ præcepto obligârunt. Nulli enim dixit: *Confer te in eremum,* &c. sed omnibus: *Ite, prædicate omnibus gentibus.* Quin etiam nullus discipulorum Ioannis, Baptistam, hoc in genere vitę, æmulatus est. Persequutio etiam, fateor, à tyrannis excitata, multos probatæ sanctitatis viros, in eremum abire compulit: sed quod illis necessitas imposuerat, illud postea aliqui, pacatis temporibus, præpostero Zelo imitari voluerunt. Quo verò cum fructu? Historiæ testantur. Quid enim boni, aut sibi, aut Ecclesiæ præstitit, ille y *Macedonius* κριτόφαγος & Gubba dictus? qui, quadraginta annis, nihil comedit, nisi hordeum, quadra-

t Psal: 31. v: 1.

Nullus Iesuitarū Eremita.

Iesuita non potest esse Eremita.

u In Vita Ignatii cap: 9. lib: 2.

Evangelici cur Eremitæ esse non possunt.

x Mat: 25. v: 35.

Christus & Baptista Eremitas non instituerunt

Fructus vitæ Eremitarum.

Hordei comestor Siriacè Fossa.

y Theodoretus Hist: Eccles: lib: 4. cap: 28.

quadraginta quinq; stans in fossa vixit, non modò non vacans divinis eloquiis, sed eorum ita rudis fuit, ut cùm ad Ecclesiam, quodam die Dominico venit, accersitus à Flaviano Episcopo, qui presbyterum eum ibi ordinavit, omninò ignoraret, quid ab Episcopo factus esset, req;, cujusdam admonitu, intellectâ, cùm dominico proximo, rursus ab Episcopo accerseretur, ut sacris interesset, iis, qui vocabant, respondit, vereri se, ne rursus ordinaretur presbyter, propterea non venturum. Quid boni [z] Pior? qui è patris domo, in eremum exiens, Deo vovit, se neminem ex suis visurum: & quinquaginta post annis, cùm soror ejus, quæ consenuerat, cognito, quòd frater viveret, quietem capere non posset, nisi ipsum videret, episcopusq; fæminam commiseratus, scripsisset ad præsides Monachorum in eremo, ut Piorem ad se mitterent: ille in patriam veniens, & stans præ foribus domus, evocavit sororem, cui clausis oculis, Ego sum, inquit, Pior frater tuus, agè contuere me, quantum lubet: nec sibi à sorore maximoperè orante, ut domum ingrederetur, persuaderi passus est, sed propè fores precatus, revertit in eremum. Quid egregii Acepsemas? qui se conclusit in celulam, & sexaginta annos ita vixit, neq; visus neq; loquutus cuiquam. Quid præclari [a] Dydimus? qui nonaginta confecit annos, nec per totum vitæ spatium, ullius unquam hominis societate & consuetudine usus est. Quid [b] Salamanus? cujus celulæ partem Episcopus cùm perfodisset, & presbyterum illum ordinasset, postea officii admonitus, tacuit; cùm populares in vicum suum, ex eo, in quo degebat, arreptum, simili celulâ, extructâ includerent, tacuit; cùm iterum in priorem reportarent, tacuit. Quid inquam boni sibi suisq; fecerunt admirandi isti Anachoretæ? Dices: *Vota pro suis fuderunt.* At cum votis jungenda quoq; officia humanitatis erant. Ita enim D. Iacobus: [c] *Si frater,* inquit, *aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis, Ite in pace, calefacimini & saturamini, non dederit autem eis, quæ sunt necessaria corpori, quid proderit?*

Non est itaque Smiglec, quòd ab Evangelicis exigas, ut in eremo, talparum more, vivant. Præstat enim illos, Christianam societatem inter se colere, opera charitatis exercere, sese invicem consolari, & ædificare, ita monente Spiritu S. [d] *Consideremus invicem, in provocationem charitatis, & bonorum operum. Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes.* Audi etiam judicia veterum. Clemens Alexandrinus: [e] *Qui enim,* inquit, *perfectus fuerit, exempla habet Apostolos, & reverà vir ostenditur, non in eo quòd vitam elegerit Monasticam, sed ille viros vincit,* qui in

[z] Theod: Hist: Ecclesiast: lib: 4. cap: 8.

[a] Socrates Hist. Eccl: li: 4. c. 18.

[b] Theod: Hist: Relig: cap: 19.

[c] Iacobi 2. v: 16.

Societas Christiana colenda Evāgelicis.

[d] Heb. 10. v: 24.

[e] Strom. lib. 7. fol. 152.

qui in matrimonio, & liberorum procreatione, & domus cura, ac providentia, citra voluptatem & dolorem, se exercet, & cum domus curatione, est indivulsus à Dei charitate, insurgens adversus omnem tentationem, quæ affertur per filium, uxorem, famulos: ei autem, qui hæc non habet, evenit magna ex parte ut non tentetur. Bernardus: [f] *Dæmon meridianus est, quoties (verbi causâ) majoris boni imaginem tentans, ad malum, benè perficientibus in cœnobiis, invidens, obtentu quasi majoris puritatis, eremum petere persuasit: & cognoverunt miseri tandem, quàm verus sit sermo, quem frustra legerant: Væ soli, quoniam si ceciderit, non habet sublevantem.* Vobis Iesuitis, si vita eremitica arridet, per me licet sitis omnes eremitæ. Hac enim ratione veritas in injusticia minimè detineretur, nec cursus Sacrosancti Evangelii, per vos, impediretur.

[f] *In Cantica Serm 33.*

Ecclesiast. 4.

Non legimus, inquis, *quenquam illorum divinarum rerum contemplatione raptum, in cælum usque, aut extasi extra se factum.* Nec de Iesuitis legimus, aliquem illorum in extasim raptum. Si enim extasis est, quòd vester [g] *Loiola sensibus abstractus, cupiebat omnibus esse ludibrio, & nudus ac despicatus, & oppletus sordibus, ut insanus haberetur, per vicos ambulabat:* certè extasis illius, extasi D. Pauli longè dissimilis fuit: qui licèt in tertium cælum raptus fuerit, tamen cùm audiit, [h] *Insanis Paulè*, sano & sobrio responso contumeliam repulit: *Non sum insanus, nobilissime Feste.* Æmulatus forsitan Lojola, non Paulum Apostolum Iesu, sed potius illum Argivum, de quo Cicero: *Maluit esse insanus*. Extasis Smigleci, est peculiaris afflatus Spiritus S., rarum quid in Ecclesia Dei. Sufficit itaque ad beatitatem Evangelicis, quòd in lege Domini meditentur die ac nocte, id affirmante Davide, Psal: 1. v: 3, 4.

Iesuitarum nullus in extasin raptus.

[g] *Rhibadeneira in Vita Lojolæ.*

Extasis Lojolæ.

[h] *Act. 26. v. 25.*

Sed te in Evangelicos acerbiùs invehentem, pacatè audiamus. *Atqui*, inquis, *excellentem illam Sanctitatem, hactenùs inducere non potuerunt, utinam communem saltem vitæ & morum integritatem induxissent, & spatiosam illam viam, quæ ducit ad mortem, hominibus suâ doctrinâ, non patefecissent.* Meliora Smigleci, quæso. Morum enim integritate vobiscum Evangelici certare possunt, attestante etiam vestræ Societatis Maldonato: [i] *In Calvinistis*, inquit, *nihil nisi Pater noster, nisi Christus, nisi fides, juramentum inauditum: nihil in eorum factis apparet, nisi eleëmosyna, nisi temperantia, nisi modestia.* Vos autem, qui Angeli & semidii in terris haberi vultis, non tantùm Evangelici, sed etiam ipsi Indi, à notitia Dei alieni, probitate morum superant. Testem produco vestræ Societatis à Costa: [k] *Dissimulari*, inquit, *de Indis profectò non potest, quàm nobis erubescendum sit,*

Evangelicorum mores.

[i] *Comment. in Matth. 7.*

Pontificios Indi morum integritate superant.

[k] *Lib. 6. de procur. Ind. sal.*

dum sit, quod à Sathanæ ministris superemur, cùm nos ad salutares confessiones persuadendas pigriores sumus, quàm illi ad suas sævas. Ibidem. l *Et sanè magno Christianis nobis opprobrio est, Ingam Regem Barbarorum, & Idolis deditum, ab ebrietate subditum sibi populum cohibuisse, nostros verò temulentiæ incrementa tanta fecisse. Quæ spes restat infelicium horum salutis, cùm ab iis venena porrigantur, à quibus Antidotus expectanda esset.* m Item. *Conjugatorum quoque adulteria severiùs apud Indos, quàm apud nos puniuntur.* l Cap. 21. & 22. m Cap. 20.

Sed ex te scire aveo Smigleci, quæ tibi sit hominum communis via salutis. Opera proculdubio intelligis. At hac via nullus in cælum ingredi potest, teste Paulo: n *Ex operibus legis nō justificabitur ulla caro coram Deo.* Regia ergo ad salutem via est, Dominus noster Iesus Christus, cum omnibus meritis, per fidem apprehensus. Ita enim de se: o *Ego sum,* inquit, *via, veritas, & vita: nemo venit ad patrē nisi per me.* Hac via omnes cælum ingressi, quotquot ingressi sunt. Ita dicente Petro: p *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere, per nomen ejus, omnes, qui credunt in eum.* Item. *Per gratiam Domini Iesu Christi, credimus salvari, quemadmodum patres nostri.* Tu verò, è Societate Iesu, scilicet, *fidem solam in Iesum, dicis latam & spatiosam viam, quæ homines ad interitum ducat.* In quo sanè turpiter erras, quia & ipsi Iesu, & illis, qui verè fuerunt in societate Iesu, apertè contradicis. Hanc enim viam cæli ingrediendi, ipse ostendit Iesus: r *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Hanc viā discipulus Iesu, qui è pectore domini, mysteria regni cælorū hausit, demonstrat: s *Quotquot receperunt eum, dedit illis potestatē filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ipsius.* Hanc etiā vas electum Paulus, hominibus ostendit, dicens: t *Gratiâ Dei salvati sumus, non ex operibus, sed per fidem:* u *Arbitramur hominem justificari, per fidem, sine operibus.* x *Scientes, quòd non justificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem.* Confer hæc verba Pauli, Smigleci, inter se, & habebis genuinum enunciatum Evangelicorum; quòd homines, *Gratia Dei, absq; operibus, per solam fidem in Christum, coram Deo justificentur.* Quam orthodoxam sententiam amplexi sunt Patres: Ita enim scribunt. Origenes: z *Dicit Apostolus sufficere solius fidei justificationem.* a Basilius: *Hæc est perfecta, & integra gloriatio in Deo, quandoquidem ob justitiam suam, quis se jactat, sed novit quidem seipsum veræ justitiæ indignum, sola autē fide justificatum.* Chrysostomus: b *Eum, qui operatur opera justitiæ, sine fide non possum probare vivum esse: fidelem absq; operibus possum monstrare, & vixisse, & regnum cælorum assequu-*

Opera non sunt salutis via.
n Rom. 3. v. 20.
Regia via, Christus.
o Ioan. 14. v. 6.
p Act. 14. v. 43.
q Act. 15. v. 11.
Fides in Christū non est spatiosa ad interitum via.
r Ioan. 3. v. 16.
s Ioan. 1. v. 12.
t Ephes. 2. v. 8.
u Rom. 3. v. 28.
x Gal. 2. v. 16.
Sola fides justificat.
z In cap. 3. ad Rom.
a De Humilit.
b Homil. de fide & lege natura.

aßequutum, nullus sine fide vitam habuit: Latro autem credidit TANTUM & justificatus est. Idem.[c] *Si credis fidei, cur alia infers? quasi fides non sufficiat justificare SOLA. Fides enim SOLA justificat.* Ambrosius: [e] *Iustificati sunt gratis; quia nihil operantes, neq; vicem reddentes, SOLA Fide justificati sunt, dono Dei.* Augustinus: [f] *Quantæ libet fuiße virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit; Nisi Fides mediatoris.* Theophylactus: [g] *Fides SOLA habet in se justificandi virtutem.* Bernard9: [h] *Quisquis pro peccatis compunctus, esurit & sitit justitiam, credat in te, qui justificas impium, & Solam justificatus per fidem, pacem habebit ad te.* Idem.[i] *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salv9 erit. Cautè,* inquit, *non repetiit, qui verò baptizatus non fuerit, condemnabitur: sed tantùm, qui non crediderit, innuens nimirum, SOLAM Fidem interdum sufficere ad salutem, & sine illa sufficere nihil.*

c Homil. in Epist: ad Titum.
e In 3. cap: ad Rom.
f Lib. 1. cont: 2. Pelag. cap. 21.
g In cap. 3. ad Galatas.
h Serm. 20. in Cantica.
i Epist: 77.

Pænitentiæ opera non sunt vana.

Hæc tu, Smigleci, cùm probè noris, absurda tamen in doctrina Evangelicorum ostendere niteris. *Ex quo*, inquis, *quid consequitur, nisi vana & inania pænitentiæ & sanctitatis opera.* Nego id sequi, Fides enim salvifica est anima veræ pænitentiæ, sine qua, nec pænitentia, nec aliud quidquam, Deo placere potest. Talis ergo fides, cùm sit per chatitatem efficax, bonorumque operum ferax, *pestis virtutum & sanctimoniæ eße nequit*, quin potiùs illarum est fons & scaturigo. Illa enim nos arbores bonas facit, quæ fructus bonos necessariò proferant. Eleganter Lutherus: [k] *Fides,* inquit, *tanquam Ioannes pectus Christi, poßidet, quidquid Christus aut est, aut habet, credentis propria bona sunt: bona opera, veluti Petrus, Christum sequuntur, ita tamen fidem & opera intelligamus, ut in nullo homine separentur, sicut neutra sine altera eße poßit.* Agnoscunt hoc vestri, ipsâ rei evidentiâ victi, quòd bona opera, fidem salvificam, sequi velimus. Ita enim Maldonatus: [l] *Dicunt sanè protestantes, fidem justificantem, non posse eße sine bonis operibus.* Vega: [m] *Iustificationem & sanctificationem tam conjunctas aßeverant, ut non poßit alterum, ab altero divelli.* Stapletonus: [n] *Omnes protestantes ad unum dicunt, fidem, quæ justificat, eße vivam & operantem per charitatem.* Bellarminus: [o] *Dicunt fidem solam justificare, sed eam non eße solam.*

k In feriis Ioan. Evangelistæ.

Fidē sequuntur opera bona.

l Com: in Ioan. 3: 15.
m Lib: 15. de Iustificatione.
n Lib. 9. de Iust. cap. 7.
o De Iust. lib. 1. cap. 15.

Quæris. *Quorsum bona opera facienda, si nullum nobis salutis & justitiæ fructum conferunt?* Invidiosè nobis objicis, quasi doceamus, quòd bona opera, nullum nobis justitiæ fructum conferant. Scito itaque nos justitiam ita distinguere; ut, Alia sit perfecta, alia inchoata. Perfecta est in Christo, cum quâ, in actu justificationis nostri, nihil concurrere potest; & hæc nos coram Deo justificat SOLA. Imperfecta, obedientia legi Dei, in hac vita in nobis per Spiritum

Iustitia.
Perfecta.
Inchoata.

sanctum

sanctum inchoata, in futura per eundem perficienda: quæ potiùs regeneratio & sanctificatio, fructus justificationis, dicenda est. Ad hanc necessariò requiruntur bona opera. *Primò*, respectu Dei, ut debitam gratitudinem, & obedientiam, erga ipsum testemur. *Secundò*, respectu nostri, ut per ea vocationem nostram firmam faciamus. *Tertiò*, respectu proximi, ut eum Christo lucremur, ad Deique laudes provocemus. De hac inchoata justitia Spiritus sanctus, [o] *Qui justus est*, inquit, *justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.*

Vsus bonorum operum 1.

2.

3.

o *Apoc: 22. v: 11*

Alterum absurdum in doctrina nostra ostensurus, dicis: *Expressissimam doctrinam nostrorum esse; Omnia opera nostra, quantumvis bona, peccata esse, secundùm divinum rigorem mortalia, secundùm verò misericordiam venialia.* Non agis candide, Smigleci, & nostram sententiam malè proponis. Distinguunt enim nostri Theologi inter actionem, quæ potest esse in suo genere bona, & modum agendi. Bona igitur opera fidelium sunt in suo genere actiones bonæ, sed cùm è carne, multis vitiis contaminata, proficiscantur, nec eo modo fiant, quo fieri debent, aliquam peccati maculam evitare nequeunt, ob quam posset illa Deus pænitùs repudiare, sed cùm personas in filio suo dilexerit, bona opera fidelium, licèt imperfecta, indulgentissimus pater acceptat. Audi Iobum virum integerrimum: [p] *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti.* Dicant etiam pro nostra sententia testimonium Patres. Augustinus: [q] *Væ hominum vitæ, quantumvis laudabili, si remota misericordia discutiatur.* Idem.[r] *Virtus, quæ nunc est in homine justo, perfecta hactenus nominatur, ut ad ejus perfectionem pertineat, etiam ipsius imperfectionis, & in veritate cognitio, & in humilitate confessio.* Idem.[f] *Charitas, quæ jam non potest augeri, quamdiu hic homo vivit, non est in homine. Quandiu autem augeri potest profectò illud, quod minus est, quàm debet, in vitio est, ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum & non peccet.* Gregorius Magnus: [t] *Omnis humana justitia, injustitia esse convincitur, si districtè judicetur; Prece ergo post justitiam indiget, ut quæ succumbere discussa poterat, sola judicis pietate convalescat.* Bernardus: [u] *Nostra, si quæ est humilis justitia, recta forsan, sed non pura. Nisi fortè meliores nos credimus, quàm Patres nostros, qui non minus veraciter, quàm humiliter, dicebant: Omnes justitiæ nostræ, tanquam pannus menstruatæ. Quomodo enim puræ justitiæ, ubi non potest culpa non esse?* Idem.[x] *Non peccare, Dei justitia est; hominis verò justitia, indulgentia Dei.* Quid aliud Calvinus docuit, quàm quod docuerunt isti S. Patres? Sed verè scripsit Erasmus: [y] *Multa in protestantium*

Bona opera an peccata.

Iudicium S. Iobi & Patrum.

p *Cap. 9. v. 28.*

q *Lib. 9. Conf. cap: 13.*

r *Cont: 2. Epist. Pelag. lib. 2. c. 7.*

f *Epist: 29. ad Hieronymum.*

t *Lib: 9. Moral. cap: 14.*

u *Ser: 5.*

x *Serm. 32. Super Cantica.*

y *In Epist. ad Archiepisc. Mog.*

tium doctrina damnantur, ut hæretica, quæ in Patribus, ut Catholica, suscipimus.

Præstat boni aliquid facere, quàm nihil.

Quæ itaq; absurda deducis, ex nostra doctrina, minimè sequuntur. Præstat enim boni aliquid facere, quàm nihil. Præstat exhibere Deo obedientiam, licèt imperfectam, quàm nullam: præsertim cùm bona opera fidelium, benignissimus pater acceptet, non intuitu illorum, sed propter Christum, in quo nos dilexit, & in hæredes regni cælorum, adoptavit. Deus etiam non peccata præcipit, sed bona opera, quæ cùm à nobis non eo modo fiant, quo debent, rogandus est benignissimus pater, ut paternâ clementiâ, defectus nostros contegat, & per spiritum suum obedientiam in nobis inchoet, quam in vita æterna sit perfecturus.

Deus peccata nō præcipit.

Fides salvifica, non est spatiosa via.

Sed iterum reponis, *spatiosam ad interitum viam esse fidem solam.* Ad id tibi responsum est supra, & iterum tibi hoc ipsum constanter nego. Fides enim salvifica, potissimùm apprehendit salutarem gratiam Dei. Hæc verò quid nos docet? Dicat Paulus: [z] *Apparuit*, inquit, *nobis gratia Dei salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo.* Non enim nos ideo lavit Christus à peccatis sanguine suo, ut iterum, tanquam sues, ad volutabrum luti revertamur, sed ut cecinit Zacharias: [a] *Liberati sumus de manu inimicorum, ut serviamus illi, in sanctitate & justitia, coram ipso omnibus diebus nostris.* Qui itaq; vera fide Christo sunt insiti, fieri non potest, quin fructus adferant gratitudinis. Egregiè Augustinus: [b] *Opera bona* inquit, *sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum.* Idem alibi: [c] *Quomodo potest justè vivere, qui non fuerit justificatus? vel omnino vivere, qui non fuerit vivificatus? Iustificat autem gratia, ut justificatus rectè vivere possit.* Hæc Ministri docentes, veram sanctitatem suis auditoribus imprimunt, non illam operum incertam, à qua Sancti Dei homines [d] *ad misericordiam* Dei appellârunt, quam Esaias [e] *pannum menstruatæ*, Paulus verò [f] *σκύβαλα*, vocat.

z Tit: 2. v: 11.

a Luc: 1. v: 75.

b Lib: de fide & operibus, ca: 14.

c Ad Simpl. lib. 2. Quæst: 2.

d Psal. 130. Dan: 9.

e Esa. 64. v: 6.

f Phil: 3. v: 8.

Lex Dei in hac vita impletu impossibilis.

Objicis, tanquam paradoxon Ministris, *quòd doceant, legem hominibus impletu in hac vita esse impossibilem.* Contrarium potius Paradoxon Smigleci, Excepto enim Christo, qui peccatum non novit, ostende, quis eam impleverit? Nam qui peccat, legem Dei non implet, sed violat. Omnis homo peccat. *Rom:* 3. v. 13. 1 *Ioh:* 1. v. 8. Nullus igitur legem Dei implet. Adde. Si aliqui hominum legem Dei implerent, facerent id potissimùm regenerati, propter perfectam sui regenerationem. At regeneratio in hac vita nondum perfecta est: [g] *De die enim in diem renovamur.* In quantum verò renovamur,

g 2. Cor: 4. v: 16.

mur, adhuc in corruptione sumus. Nec itaq; legis impletio in hac vita perfecta esse potest. Concupiscentiam verò quod attinet, illa quidem in Baptismo tollitur, quò ad reatum, non ut non sit, sed ne imputetur: hic tamen fomes per totam vitam in homine manet. Quilibet enim regeneratorum sentit & videt cum Paulo: [h] *In membris suis aliam legem, repugnantem legi mentis & captivantem legi peccati.* Vos id non sentitis, quia fortassè Divo Paulo sanctiores estis.

De diligendo Deo, supra omnia, dicis *præceptum esse homini impletu possibile.* Sed si de perfecta, in suo genere, & gradu, dilectione Dei, id asseris, proculdubio paradoxon est. In tantum enim Deum diligimus, in quantum cognoscimus. At nondum perfectè cognoscimus. *Videmus enim per speculum & ænigma.* 1. Cor. 13. ℣. 12 Nondum igitur perfectè diligimus. Quantò ergo rectius Augustinus: [i] *Cùm aliquid est,* inquit, *carnalis concupiscentiæ, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus. Non enim caro sine anima, concupiscit.* Non me latet vestros sic distinguere. *Deus supra omnia diligendus est, non intensivè, sed appreciativè.* Ita enim scribit vester Toletus: [k] *Quantum ad intentionem dilectionis, non tenemur sub præcepto Deum plus omnibus diligere.* Et Bellarminus: [l] *Illa verba,* inquit, *Ex omnibus viribus, non significant ex omnibus potentiis animæ, sed quod vulgò dicimus, PRO viribus.* Verùm ista distinctio est futilis. Vtroq; enim modo supra omnia Deus est diligendus. Et appretiativè, quia summum bonum. Et intensivè, quia ex omnibus viribus. Rectè Augustinus: [m] *Cum,* ait, *toto corde, tota mente, tota anima & omnibus viribus, nullam tibi reliquit partem vacantem.* Graviter & Vega vester: *Absit,* inquit, *ut primum & maximum præceptum, tam hyperbolicè nobis traditum eße putemus.* Miror certè, quomodo ista cohærere possunt. Dicitis vos legem Dei implere, interim tamen omnes quotidie oratis: *Dimitte nobis peccata nostra.* Quid autem vobis à Deo dimittitur, si ei nihil debetis? Item affirmatis, vos posse supra legem ampliora facere. Interim tamen tot Sacramenta, adversus peccata remedia, habetis, quibus universi & singuli utimini. Sanctissimus etiam Pontifex vester in exitu vitæ absolvitur. At cur absolvi debet, qui nullo vinculo peccati irretitus fuit? Ne autem dicas, hæc dogmata in Schola Lutheri recèns nata esse, en habes piam & eruditam antiquitatem. Chrysostomus: [n] *Quid lex vult? Hominem justificare, sed non potest, nemo siquidem illam implevit.* Sedulius: *Perfectionem legis habet, qui credit in Christum. Cùm enim nullus justificaretur ex lege, quia nemo implebat legem. Fides posita est, quæ in omnibus prætermissis satisfaceret*

Concupiscentia.

h *Rom: 7. ℣. 23.*

De diligendo Deo super omnia

i *De perfect: Iust ad Ratioti.* 17.

Distinctio futilis

k *Lib: 4. cap: 9. de Instr: sacerd:*

l *De Monach. lib: 2. cap: 18.*

m *De Doctr. Christ: lib: 1. cap. 22.*

De Iust: lib: 11. cap: 16.
N. B.

Opera supererogationis.

Testimonia Patrum de impossibilitate legem implendi.

n *In Rom. cap. 10.*

faceret pro tota lege. Accusas Evangelicos quod *fontes sanctitatis, id est, Sacramenta partim sustulerint, partim obstruxerint.* De numero & effectu Sacramentorum, deq; præsentia Christi in Eucharistia, item de Absolutione, superius tibi satisfactum puto: actum igitur hîc non agam. Gratum tamen nobis est, quod concedas, *nos verum Sacramentum Baptismi habere.* Quæro tamen, cur verum Baptismũ apud nos agnoscis? Aliam causam afferre non potes, quàm quòd retineamus materiam & formam juxta institutionem Christi. At si, ob id ipsum verus est Baptismus noster, vera quoq; ob eandem causam erit & Eucharistia, quia in celebratione ipsius institutionem Christi, per omnia sequimur. Te igitur judice habemus duo Sacramenta vera, quæ sola semper in Ecclesia pro veris & propriè dictis Sacramentis habita sunt, eaq; habemus cum hac efficatia, quæ hisce sacris fidei nostræ sigillis divinitùs collata est.

Evangelici vera Sacramenta habent.

Rationum inops ad testimonia confugis, & producis Erasmum, qui in quadam Epistola dicit: *In nostra religione homines factos esse seipsis deteriores.* Vnus vir, nullus Vir, Smigleci. In ore duorum vel trium testium, stat omne verbum. Tu verò unum Erasmum contra nos producis, qui tamen alibi pro Luthero testimonium dicit:[o] *Lutheri,* inquit, *vita omnium hominum consensu probatur: id non leve præjudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes reperiant, quod calumnientur.* Mirari satis non possum ingenium vestrum. Vbi Erasmus contra Evangelicos pronunciat, fide dignus testis: ubi Monachos exagitat, Erasmus est vobis semichristianus. Cassander certè nostrarum partium non fuit, de nostris tamen tale judicium tulit:[p] *Accusandi sunt nostri, qui inani titulo inflati, eoq; ad dominatum & avaritiam abutentes, hominibus non malis,* (protestantes intelligit) *huic Ecclesiastico ordini detrahendi, & ab eo deficiendi, occasionem dederunt.*

Testimonia contra probatos Evangelicorum mores diluuntur.

o *In Epist: ad Tomam Card. Eboracensem.*

p *Lib: Consult: cap: 14.*

Porrò ut nos proprio testimonio convincas, inducis Lutherum dicentem, *Evangelicos deteriores esse, quàm fuerint in Papatu.* Respondeo, Piis præconibus verbi Dei in more positum esse, ut omnes auditores, tanquam impios, arguant, cùm tamen sint inter ipsos plurimi boni, adeò, ut aliquando infideles, ipsis prætulisse videantur. Sic fecerunt Prophetæ:[q] *A planta pedis, usq; ad verticem non est sanitas in eo* &c. Sic Paulus:[r] *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* Sic Lutherus auditores suos tanquã malos omnes exagitabat, ut eò meliores redderet. Talia Smigleci, si nos colligeremus, facile Ecclesiam Romanam omnium pessimam probare possemus: De vestra enim Ecclesia, ita pronunciant au-

q *Esa: 1. v: 6.*
r *1. Cor: 5. v: 1.*

Lutherus quo sensu ait deteriores.
Testimonia de moribus Rom. Eccl.

ant authores gravissimi. Bernardus: [f] *Serpit hodie putida tabes per universum corpus Ecclesiæ, & quo latiùs eò desperatiùs.* Baptista Mantuanus lib:4. Fast:

Romana gravi maculata veneno
Curia, quæ terras spargit contagia in omnes.

Idem lib: 3. Calamit:

Sanctus ager scurris, venerabilis ara cinædis
Servit, honorandæ divûm ganymeditas ædes.

Durandus: [t] *Desperata est salus Romanæ Ecclesiæ, de qua verificatur dictum Esaiæ: Erit cubile Draconum.* Cardinalis Aliaco: [u] *Ad eum statum venit Romana Ecclesia, ut non sit digna regi, nisi per reprobos.* Magis verò accusantur à vestris ipsi sacerdotes, quàm populus. Ita enim quidam, [x] *Sanctiores erant aures populi, quàm corda sacerdotum.* Hugo Cardinalis: *Fertur, Diabolus duas habuiße filias Avaritam & Luxuriam, illam Iudæis, hanc Ethnicis elocasse: nunc verò Clerici nostri, utramvis viris suis eripuerunt.* Agrippa: [y] *Sacerdotes multi sacras virgines stuprant, vitiant viduas, & quod ego scio & vidi, Platonica lege cum popularibus suis, fœminas communes prostituunt, & quorum animas debent lucrari, eorum corpora sacrificant diabolo.* Laurentius Valla: [z] *Existimo, si qua inter dæmones, qui aëra incolunt, ludorum genera exercentur, eos exprimendo Clericorum cultu, fastu, luxu exercere, & hoc scenici lusus genere, maximè delectari.* Platina: [a] *Arnolphus quidam, Romæ impurissimos Clericorum mores videns; Si sanctus Petrus,* inquit, *resurgeret, & vitam vestram reprehenderet, ei minimè parceretis, qui omni spurcitia pleni, plebem præcipitem agitis in infernum. Hic S. monitor interfectus erat à Clericis.* Idem. [b] *Hac nostra ætate vitia nostra adeò creverunt, ut vix ullum misericordiæ divinæ locum nobis reliquiße videantur. Quanta nunc sit sacerdotum avaritia, quanta libido, quanta ignoratio sui ipsius & doctrinæ Christianæ, quàm parva religio, & simulata potiùs quàm vera, quid attinet dicere?* Sancta etiam Brigida de vestro Clero: [c] *Sunt impuri, sunt pice commaculati, & adeò abominabiles sunt, ut omnis exercitus cæli eos abominetur.* Sed quid ego dico de Clero, cùm ipse Pontifex, fons & origo istorum malorum, à vestris judicetur. Ita enim Adrianus 6. [d] *Nec mirum,* inquit, *si hæc ægritudo à capite in membra, à summis Pontificibus, in inferiores prælatos dimanârit.* Ioannes Sariburiensis: [e] *Papæ, mea opinione, frequentius moriuntur, ne, si diuturna his sint vivendi spatia, totam Ecclesiam corrumpant.*

Hæc & talia plura colligere possemus, sed nos nihil delectant, quippe cùm ad causam nihil momenti afferant.

f Super Cant. Ser: 30.

t De Concil. Tit: 27. & 32.

u De Refor: Ecclesiæ.

Accusati Sacerdotes.

x In quadam Glosa.

y De Vanit: Scient: cap: 64.

z De Donatione Constant.

a In Vita Honorii.

b In Vita Marcellini.

c 133.

Pontifex fons malorum.

d In Instruct: Charegati ad Com: Norin.

e In Polycr. lib. 6. cap: 24.

At nobis

At nobis insultas, Smigleci. *Neque mirum Evangelicos malos esse, nihil enim est, quod illos à peccatis deterreat, cùm omnem pænitentiam & pro peccatis satisfactionem sustulerint. Pænitentia est illis fides. Pæna pro peccatis, passio Christi.* Non veritas, sed malevolus livor, ista tibi verba extorsit: Nos enim à peccatis deterret, Dei timor, & amor, isque filialis. Pænitentiam etiam veram docemus, quæ non in sola fide consistit, sed in agnitione & detestatione peccati, in seria contritione cordis pro eodem: in confessione, quæ fiat soli Deo, ad gloriam ipsius, & nostri humiliationem, in fiducia de misericordia Dei, ne animus ob tristitiam de peccato conceptam, desperationi immergatur, in renovatione vitæ, quæ necessariò requirit, ut desinamus agere perversè, & discamus agere benè: Quin & satisfactionem minimè sustulimus; Quâ enim Deo satis fiat, habemus obedientiam & mortem Christi, de qua Esaias: [f] *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, livore ejus sanati sumus.* De eadem sanctè Sanctus Bernardus: [g] *Assignata est,* inquit, *homini aliena justitia, quia caruerat suâ. Satisfactio unius, omnibus imputatur: quemadmodum ipse omnium peccata in se portavit.* Quâ autem Ecclesiæ offensæ satis fiat, sequuti praxim veteris Ecclesiæ, habemus publicas, in publicis scandalis, exomologeses: Quæ itaque refers ex Soto, quasi Evangelici petierint, iterum sibi restitui confessionem, nihili est, cùm ista res ad comitia imperialia, nulla ex parte pertinuerit.

Quid Evangelicos à peccatis deterreat.

Pænitentia vera in quo consistit.

Satisfactio Evangelicorum.

f *Cap: 53. V: 5.*

Quâ Deo,

g *Epist. 99. cont. Abaleiardum.*

Quâ Ecclesiæ fiat satis.

Vos certè Smigleci, Pænitentiam pænitendam, vel potiùs detestandam docetis. Qualis enim apud vos pro peccato contritio? en verba Tholeti, ex quibus id manifestum fiet: [h] *Non tenetur,* inquit, *quilibet statim post peccatum conteri, etiamsi recordetur sæpius commissi peccati.* Idem. *Dolor tenuis sufficit.* Sic quidem Spiritus Iesuiticus, sed aliter Spiritus S. [i] *Dole,* inquit, *tanquam parturiens.* Aliter etiam Patres. Cyprianus: [k] *Convertamur,* inquit, *ad Dominum, & pænitentiam veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur.* Augustinus: [l] *In pænitentia, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris.* Hieronymus: [m] *Vera pænitentia est iugiter fletibus commissa diluere, & abluta non iterare.* Audiamus & Suarem: [n] *Fieri potest,* inquit, *aliquando, ut sola detestatio peccati, sine proposito formali non peccandi, de cætero sufficiat ad gratiam consequendam.* Sed aliter Spiritus S. [o] *Lavamini,* inquit, *& mundi estote: Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis vestris. Quiescite agere perversè, & discite agere benè.* Aliter etiam Patres. *Pænitentia* inquiunt

Pænitentia Pontificiorum pænitenda.

h *Lib: 6. De Instruct: Sacerd. cap: 5.*

i *Mal: 4.*

k *Serm: de lapsis.*

l *In Enchiridio cap. 65.*

m *Hier: in Psal. 118.*

n *Suar: Tom: 4. in Tomā Disp. 4. Sec: 3. Ass: 2.*

o *Esa: 1. V: 16.*

inquiunt *est, mala præterita plangere,& plangenda,iterum non committere*.Sed loquatur iterum Toletus:[p] *Potest confeßarius pœnitenti imponere pœnitentiam,per alium implendam,ut nimirum, unum pro alio iejunare, & bona opera facere.* Aliud suadet Spiritus S. *Vnusquisque portet onus suum.* Et, si anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, anima igitur,quæ pœnitentiam egerit, ipsa salva fiet.

p Lib:3.cap: 11. Instruct. Sacerd.

Et cui,Smigleci,ad omnem turpitudinem fræna non laxat,vestra absolutio, venalesque indulgentiæ? Audi quid vestri dicant. Franciscus de Victoria:[q] *Videmus*,inquit,*dissolutas dispensationes à curia Romana profectas,ut orbis ferre non poßit*.Cornelius Agrippa:[r] *Nobis Canonici persuadere conantur, penes Pontificem eße authoritatem dispensandi, contra jus naturale, imo contra Novum Testamentum.* Autor Anonymus quidam[s] *Importabile negligentiarum (hem lapso calamo) indulgentiarum onus, quibus pietas penè extincta est.* Ruardus Tapperus Cancellarius Lovaniensis: *Abusus Romanæ Curiæ inexcusabiles agnosci oportet: totum Ecclesiæ corpus contaminatum lapsu disciplinæ, venalia eße omnia, per monstrosas provisiones,regreßus & retrogreßus; per commendationes Abbatiarum & Episcopatuum; per dispensationes super pluralitate beneficiorum, & super aliis plurimis,super quibus nec Christus ipse dispensare poßet.*

Indulgentiæ Pontificiorum.

q Relect.4.Prop. 5.

r De Vanit:scient:cap: 63.

s In fascic: rerũ Expet.

Orat: 10. Theol: habita an: 1552. cùm ex Con:Trid. reverteretur.

Vides ergo, Smigleci,vos potiùs simulacrum, & umbram pænitentiæ, quàm veram & seriam pænitentiam, hominibus imponere: vestramque venalem absolutionem, & emptitias indulgentias, spatiosam ad interitum viam esse.

Nos verò, veram & seriam pœnitentiam hominibus persuademus, &, ex misericordia Dei, gratuitam, non venalem, aut emptitiam veniam consequimur, adeò, ut bona conscientia, cum Arnobio dicere possimus:[t] *Non emuntur à nobis auro, vel argento Indulgentiæ,ut illi à diis suis,& flaminibus,emere solent, quæ res peccandi occasionem, præsertim ditioribus, præbuit. Sed nos, qui credimus sanguine filii Dei, qui non denuò funditur,expiari peccata, non poßumus non sollicitè à peccatis nobis cavere.* Nec mihi prætereundum videtur illud memorabile dictum: *Proprium est numinis, non emptitias, sed gratuitas habere venias.*

Indulgentiæ Evangelicorum quales.

t Lib:7.advers. gentes.

Gnomæ elegans.

Quid dicam de vestra æquivocatione mentali? illa quàm latus fraudis & perjurii, campus.Ita enim vester Toletus:[u] *Aliquando*,inquit, *licet uti æquivocatione & decipere audientem: non semper, sed quando judex contra justitiam petit juramentum, licet uti æquivocatione, & jurare secundùm suam mentem contra mentem judicis, ut, puta,* quærenti

Æquivocatio mentalis.

u Lib: 4. De instruct: Sacerd. cap:21.& 22.

quærenti judici: Fecistinè illud? Respondeat, Non feci: intelligendo inter se, ut dicam tibi, vel Hoc tempore, vel quid simile. Et, si vir uxorem petat, an sit adultera? Ista potest dicere non sum, quamvis verum fuerit, intelligendo, ut tibi revelem. Sic qui cogitur jurare in sponsam acceptu-rum alteram, intelligendo, si postea placuerit. Ab orco revocatis illud, ab Ethnicis, etiam lumine naturali, quondam condemnatum. *Iuravi lingua, mentem injuratam teneo.* Vtinam malum consilium, sit consultoribus pessimum, & in foro conscientiæ, à vobis Catholici ita instructi, sic vos eludant, Non feci, intra se intelligendo, *Vt hoc tibi in confeßione revelem.*

Porrò limitatione aliqua usus, ais. *Non requirimus ab Evangelicis ut sint omnes sancti, quod neq; inter Catholicos reperitur: sed hoc solùm urgemus, quòd ista Evangelica doctrina facere sanctum neminem poßit.* Imo verò quotquot sancti fuêre, Smigleci, non alia ratione, quàm Evangelica fide sanctitatem consecuti sunt. Solus enim Iesus Christus, est nostra [x] *Sanctificatio, cujus participes aliter fieri non possumus nisi per fidem, quæ omnes verè credentes sanctos facit.* Evangelici itaq; verè sancti sunt: tum quia in Baptismo Christum, qui est justitia, induerunt; tum quia obedientiam Christi per fidem apprehendunt; tum quia verbum Dei purum, quod mundos & sanctos facit, retinent, tum quia solus Christus, qui est sanctorum sanctus, illorum caput est; tum quia Spiritus sanctus in ipsis vitæ sanctitatem hìc inchoat, in illa vita eandem perfecturus.

Evangelica fides sola sanctos facit.

x 1. Cor: 1. v: 30.

Evangelici sancti ob causas.

Quid itaque, Smigleci, quod ad veram sanctitatem in Evangelicis requiris? Fortaßè Canonisationem Pontificis, & vestram ἀποθέωσιν. Hanc nos minimè curamus, contenti, quòd nos sanctus sanctorum inter membra sua reputet. Qualis enim sit vestra Canonisatio, ex [y] Bessarione Cardinali cognosci potest, qui cùm inter divos, inepta quadam Apotheosi, Romæ quam plurimos referri videret, quorum vitam improbarat, dixit *se valdè dubitare, utrum vera eßent, quæ ab antiquis prodita sunt.* Ne verò Cardinalem suspectæ fidei putes, en habes Paulum Iovium, qui eum tali elogio ornavit: *In Beßarione virtutes usque adeò præcellenti temperamento, concentuque ad admirationem, responderunt, ut nemo eo Christiana probitate spectatior.*

Canonizatio Pontificiorum qualis.

y *Bodinus Metho: Hist: lib: 4.*

In Elog: illustr. Viror.

Si tales sanctos inter Evangelicos desideras, qui octingenta millia innocentium hominum trucidaverint, qualis fuit vester [z] Dominicus persequens Albigenses, qui etiam discipulos suos sanctam quandam hypocrisim docuit: Si tales Sanctos, qui per aëra volantes, & scintillas ignis de manica excutientes, clament: Ha, ha, ha,

Quales sancti Pontificiorum.

z *Theoricus Apolidorus Vita S. Dominici, lib: 2. cap: 7.*

ha, ha, Frater Masæe, præbe mihi teipsum, quique hirundinibus prædicent, qualis fuit vester [a] Franciscus: Si tales sanctos, qui malunt esse insani, quàm sobriæ mentis, qualis fuit vester Lojola: Si tales, qui vitulos emortuos excitent, qualis fuit vester Hyacintus. Fatemur, inter Evangelicos, tales sanctos minimè reperiri posse. Illos ergo vobis ultrò libenterque largimur. Luceant inter vos, tanquam majora sydera in cælo.

Vincentius Spec Hist: lib: 29. cap: 105.
a Lib: Conform:

Vt autem Evangelicos hominibus magis odiosos reddas: *Non modo*, inquis, *sanctos non faciunt, sed iis, qui his mille sexcentis annis sancti fuerunt, bellum inferunt*. Quodnám Smigleci? *Quia eos*, inquis, *erroris accusant*. Injuriâ nos afficis Smigleci. Si enim ob id ipsum, quòd libros Patrum à Canone sacræ Scripturæ discernamus, illosque nævos, ætati suæ proprios, habuisse dicamus, bellum Patribus indiximus: Indixerat ergo bellum Cypriano Augustinus, qui ita scribit: [b] *Cypriani literas non ut Canonicas habeo, sed illas ex Canonicis considero, & quod in eis divinarum scripturarum authoritati congruit, cum laude ejus accipio: quod autem non congruit, cum pace respuo*. Dicimus illos habuisse suos nævos, quos in singulis, etiam te judice ostendere possum; sed veteres Patres, vestros fuisse sanctos, minimè concedimus. In fundamentalibus enim, qui intra 600, à Christo vixerunt annos, nostri fuêrunt, quod Cathalogus Testium veritatis abundè probavit. Ad Magdeburgẽses tibi responsum est suprà. Vos potiùs sanctis bellum indixistis, verumq; illorum honorem, quantum in vobis est, conculcatis, idque multiplici ratione.

Evangelici sanctis bellum non inferunt.

b Cont: Cresc Gram: lib: 2. cap: 1.

De Patribus judicium.

Pontificii sanctis bellum indixerunt.

Primò: (ut à sanctis primæ classis exordium sumam) quòd Acta Apostolorum, illorumque scripta à populo legi prohibetis: [c] *Sapientiam eorum annuncient populi, & laudem eorum narrabit Ecclesia*. At quomodo annunciabunt, cùm per vos, ex scriptis illorum, ipsis scire minimè liceat, quales illi fuerint, & qualia scripta divinæ sapientiæ plenissima, Ecclesiæ reliquerint. Magnus honor inter Ethnicos viris doctis habebatur, si eorum scripta post mortem diligenter & avidè legerentur. Ita enim Alexander Magnus honorabat Homerum, ita Cicero Galbam Oratorem, de quo: *Tanto*, inquit, *in honore apud nos fuit, ut eum memoriter edisceremus*. Vos autem à lectione scriptorum, quæ Apostoli Ecclesiæ reliquerunt, populum arcetis, veriti, ne Apostolicæ literæ eundem hæresi inficiant. Egregia sanè & Neocatholicis digna de scriptis Apostolicis existimatio.

Primæ classis sancti.

1.

c Eccl: 44. v: 15.

Secunda ratione, verum honorem Sanctorum diminutum itis, cùm de illis fabulosa, quæ Sanctos minimè deceant, spargitis: exempli gratiâ; De S. Stanislao, quasi mortuum excitasset, & ad judicium,

2.

cium, testimonii dicendi causâ, eundem produxisset, cùm tamen Deus id severè prohibuerit: [d] *Non invenietur qui à mortuis quærat veritatem.* Ego verò credo S. Stanislaum, maluisse potiùs villam, quàm animam, amittere. Vestræ etiam Societatis VVysocki, in speculo exemplorum, polonico idiomate edito, de Beatissima, ipsiusque castitatis flore, Maria virgine, scribit; quòd *Monachi sudorem à fronte noctu absterserit, nullũ suaviorẽ odorẽ habitura;* quod Evangelici de matrona quavis, famæ honestę, affirmare minimè ausint. Benè ergo de vobis Agryppa: [e] *Cæteri,* inquit, *divorum Historias construunt, piè nonnihil admentientes.* Item [f] Erasmus: *Quid eos commemorem? qui fabulis vanis, & miraculis fictis, memoriam eorum, quibus favent, student vulgo commendare, nonnunquam ea laudantes, quæ laudatus nec fecit unquam, nec probavit.* Ne verò istos hæreseos suspectos dicas, prodeat Canus: [g] *Pudendum est,* inquit, *historicos gentium veraciores fuiße, quàm nostros: dolenter hoc dico potiùs, quàm contumeliosè, veriùs à Laërtio vitas Philosophorum eße scriptas, quàm à Christianis vitas sanctorum; longeque incorruptiùs Ethnicos res Cæsarum exposuiße, quàm exposuerunt Catholici res, non dico Imperatorum, sed martyrum, virginum, confeßorum. Multa nimirum confingunt, ut eorum me non solùm pudeat, verùm etiam tædeat.*

d Deut: 18. v: 11.

e De vanit. scient: cap: 97.

f Arg: in lib: Cõfeß: Aug.

g Loc: Theolog: lib: 11. cap: 6. Sect. 7. pag: 333.

3.

Tertia ratione idem facitis, quando pro ipsis oratis: [h] *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pænis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore Leonis, ne absorbeat illas tartarus.* At Innocentius 3. tale decretum tulit: [i] *Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre: similiter de cæteris sanctis judicandum est, quia oratione nostra non indigent, cùm sint perfectè beati.* Iudice igitur Pontifice vestro, sanctis injuriam facitis.

h Mißa in commemoratione omnium defunct

i Extra: de celebrat: Mißar. cap: Cùm morte.

4.

Quarta ratione idem committitis, cùm colluviem hominum, verè sanctis aggregatis, & impia Apotheosi, superstitiosos Monachos, inter eos refertis. [k] *Si quis autem hominem,* ut inquit Hieronymus, *qui sanctus non est, sanctum eße crediderit, & Dei societati conjunxerit, Christum violat, cujus corporis membra omnes sumus.*

k In Epist: ad Philem.

5.

Quinta ratione idem fit à vobis. Cùm verè sanctis, qui in Canonicis literis laudem sunt consequuti, vestros superstitiosos Monachos prælatos vultis, talis enim apud vos pictura & Scriptura, ἅγιος Paulus, ἅγιος Dominicus. Per istum (intellige Paulum) itur ad Christum. Facilius per istum, id est per Dominicum. Franciscum prætulistis Iaonni Baptistæ, de quo tamen Christus: *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptista.* Ita enim scribit liber Conformitatum: [l] *Franciscus plus fuit, quàm Ioannes Baptista, quia Ioannes Ba-*

l pag: 18.

nes Baptista fuit pœnitentiæ prædicator. Franciscus prædicator & institutor ordinis pœnitentium. Ille præcursor, hic signifer Christi. Ioannes verbum prædicationis accepit à Domino; Franciscus & à Domino & à Papa. Eundem prælatum vultis omnibus Apostolis. Ita enim idem liber habet: [m] Franciscus est melior Apostolis, quia illi naves tantùm, ille fæmoralia etiam reliquit. Si itaq; supra omnes Apostolos excellentior Franciscus vester? cui ergo ipsum æquabitis? Proculdubiò ipsi Christo. Quod fecistis titulum ipsi adaptantes: [n] Iesus, Nasarænus Rex. Iesus per vitæ conformitatem. Nasarænus, quia virgo purißima. Rex, sensuum exteriorum & interiorum. Addi potest veriùs Iudæorum, id est, Monachorum, qui Christum in membris suis crucifigunt. Eundem, ut Christum invocatis: m pag: 39. n Omnia in eodem lib: Confor.

Francisce Iesu Typice dux normaq; minorum:
Sedes nobis perpetuè da regni cælorum.

Sexta ratione idem factitatis, cùm Doctrinam verè sanctorum, nihili facitis, ad instituta Monachismi fundatorum magis intenti. Rectè de vobis Erasmus: [o] Nunc videmus, inquit, paßim dormitari ad Christi doctrinam (Apostolorum autem doctrina Christi fuit) ceu crassam & rudem, plurisq; fieri, inter Monachos, quid statuerit Benedictus, aut Bernardus, aut Franciscus, quàm quid is docuerit, de quo una vox Patris audita: Ipsum audite. Quid autem mirum, Monachorum instituta, doctrinæ Apostolorum vos prætulisse, si quidem etiam illa pluris, quàm Decalogum, æstimatis? Ita enim vestræ societatis Crusius: [p] Noster, inquit, Decalogus est regula votorum, ab Ignatio Lojola tradita, imo Decalogi legibus præstantior, quòd in Decalogo tantum sint mandatoria, in nostra autem regula plura sunt quàm lex exigit, nēpe consilia. Facilè credo plura esse, sed illa, de quibus Dominus: [q] Quis hæc requisivit de manibus vestris. 6. o In Matth. 16. p In Explic: Regul: Lojola. q Esa: 1. v: 12.

Septima ratione verum honorem sanctorum conculcatis, quando imaginibus potius illorum, quàm moribus oblectati, vitam illorum minimè imitamini. Maxima autem sanctorum gloria in eo sita est, si quis vitam eorum imitatus fuerit, dicente Paulo: [r] Sitis irreprehensibiles in medio nationis pravæ, inter quos lucete, tanquam luminaria in mundo, ad gloriam meam in die Christi. 7. r Phil: 2.

Octava ratio apud vos, extirpandi veri cultus sanctorum, dùm in eos honorem soli Deo competentem transfertis. Certum enim est sanctos in cælis similes esse factos Angelis. At Angelus delatum sibi divinum honorem repulit: [s] Vide, inquit, ne feceris, conservus tuus sum, Deum adora. Ergo, nec sancti divinum honorem appetunt; Quin potius toti in eo sunt, ut omnis rationalis creatura, Deum solum. 8. s Apoc: 19. & 22.

lum, qui eos tantæ beatitatis participes fecit, unâ cum ipsis adoret. Rectè Augustinus:[t] *Quando, inquit, dixeris, auxilium meum non à sanctis, sed à Domino, non solùm tibi non succensebunt sancti, sed tunc amabunt, tunc magis favebunt. Sin in ipsis spem tuam posueris, contristabuntur.* Quid verò Neocatholici? [u] *Laus Deo & virgini matri.* Item:[x] *Gloria Deo & B. Virgini Mariæ Dominæ nostræ.* [y] *Maria, adeò bona est, quàm æternus pater. Possumus provocare à foro justitiæ Dei, ad curiam B. Mariæ.*

[t] *Tom: 9. De Past.*

[u] *Bellarminus in conclusione operum.*

[x] *Greg: Valent. in fine Tract: de Satisfact.*

[y] *Ozorius Tom: 3. Conc. In Assũ: Holet Comm: in Sap: Lect: 36.*

Secundæ classis sanctis Pontificii bellũ indixerunt.

Ad sanctos secundæ classis, id est Catholicæ Ecclesiæ, qui post Apostolos vixerunt, patres devenio, quibus vos bellum indixistis. Etsi enim eos magnifacere videmini, reipsâ tamen, ut calculos habetis. Vbi enim pro vobis facere videntur, eos ponitis pro mille: ubi contra vos; pro ciphra seorsim collocantur. Id ne confictum dicas, en quod dixi, probo.

Sixtus Senensis *lib: 2. Tit. Clemens. Erant libri Clementis ab Hæreticis corrupti.* Bellarminus *lib: 4. de Rom: Pontif: cap. 8. Nulla Tertulliano fides adhibenda hac in re.* Bellarminus *lib. 4. de Ver: Dei cap. 11. Cyprianus hoc dixit, cùm suum errorem defendere vellet.* Idem. *lib. 4. de Rom: Pontif: cap. 11. Omninò peccavit Cyprianus, non obediendo Romano Pontifici, ex ignorantia lapsus, putabat Pontificem perniciosè errare.* Idem de Imag: *lib. 2. cap. 5. Lactantius in multos errores lapsus est.* Pererius, *in Gen. Disp. 6. Num. 33. Chrysostomus veritatis & pietatis terminos excessit.* Gregorius de Valentia *Apol: de Idol: lib: 2. ca. 7. pag. 719. Si maximè exploratum sit factum Epiphanii, de velo abscisso, tamen apud nos Ecclesiæ autoritas plus ponderis habet.* Bellarminus *lib. 1. de Rom. Pontif: ca: 8. Videtur reverà Hieronymus in ea opinione fuisse, quæ falsa est, & refelletur suo loco.* Alphonsus de Castro *lib. 6. adversus Hær: Non vereor fateri Hieronymum hac in parte errasse.* Medina apud Gregorium Valentianum, *lib. de Episc: & Presb: Dif: cap. 3. Hieronymus hac in re cum Aërianis Hæreticis sentiebat.* Bellarminus *lib. 1. de Rom: Pontif: cap. 10.* exponens, Tu es Petrus: *Augustinus ex ignoratione linguæ Hebreæ, fuit deceptus.* Maldonatus *in Ioh: Con: 3. Nõ possum hìc Augustini & Bedæ sententiam admittere.* Gregorius de Valentia, *lib. de Transs: cap: 8. pag. 39. Theodoretus de aliis quibusdam erroribus in Concil: Ephes: notatus erat.* Salmeron *comment: in Rõ: Tota devotio erga Dei genitricem non consistit in Bernardo, Bonaventura, & aliis Patribus.* Hæc Pontificii in specie de patribus. In genere verò talem de iis tulit sententiam Salmeron: [z] *In Patribus legendis servanda videtur sententia Quintiliani, qui sic scribit: Neq; id statim legenti persuasum sit, omnia quæ magni autores scribunt, utiq; esse perfecta: nam labuntur*

[z] *In Epist: ad Rom: Disp: 6.*

interdum

interdum & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati. Idem. *Non omnibus omnia dedit Deus, ut quælibet ætas suis gaudeat veritatibus, quas prior ætas ignoravit:* [a] *Quælibet ætas antiquitati semper detulit, sed illud aßerimus, quò juniores eò perspicatiores esse Doctores.*

[a] Com: in Rom. 5. Disp: 57.

Cùm itaq; quod nobis objicis, in vos verè quadret, nullo jure concludis: Evangelicorum fidem nullo modo fidem sanctorum dici posse. Evangelica enim fides & sanctos facit, & cum verè sanctis concordat, & omnes quotquot verè sancti fuerunt, illam sequuti sunt.

Lutherus à convitiis vindicatur.

Quod verò ex Cochlæo de Luthero affers, *quasi ambitione & invidia provocatus, contra Indulgentias docuerit;* apud me nullam fidem meretur. Quis enim credat, jurato Lutheri hosti, contra Lutherum testimonium dicenti? Atqui ipse Lutherus apertè scribit: [b] *Clarè & disertè testati sumus, ut si* (Pontificios intelligit) *non cogerent nos, ad articulos palàm impios & blasphemos, nos bona ex parte eorum jurisdictionem Episcopalem defensuros, sed reverenter & simpliciter ad eorum pedes prostratos, & in causa publica æquissima petentes, nos ad sathanica mendacia sua cogere volunt. Alto fastu me despiciebant, quòd indulgentias eorum (bullæ enim erant) difflaßem.* Quæ verba in Luthero zelum, in Pontificiis fastum, manifestè arguunt.

[b] Tract: de Missa privata.

De Lutheri cum Diabolo colloquio.

Per summam autem injuriam Luthero affingis, quòd *Sathanam sui Evangelii consultorem & authorem habuerit, ab eoque Mißam privatam, rem eße malam didicerit.* Lutherus, Smigleci, à Sathana, Missam privatam, rem esse malam non didicit. Id enim ex verbo Dei, & ex praxi primitivæ Ecclesiæ, ubi intra 600. & amplius à Christo annos, privata Missa nulla fuit, facilè discere potuit: sed tentatus fuit à Sathana, qui eum in desperationis barathrum præcipitem agere voluit, eò quòd per annos quindecim in Papatu Missam privatam celebrârit, populo Sacramentum sub una Specie porrexerit, mortem Domini non annunciârit, sed sibi soli verba Cænæ demurmurârit: quæ quidem Lutherus vera fuisse Sathanæ concessit, per conscientiam enim negare non potuit, attamen Sathanam fide in Christum superavit. [c] Ita enim ipse de se scribit: *Non poßum negare me pecaße. Sed ibi mentitur Sathan, quòd ultra urget, ut desperem ut Cain. Confessus quidem sum coram diabolo (lege Dei convictus) me peccasse ut Iudam, sed verto me ad Christum cum Petro; Christum invoco, in Christum credo, qui omnem horrendam damnationem damnavit, qui meum peccatum delevit, per sanguinem suum, de hoc non dubito, in hoc Baptismum accepi, & sacramenta sigilla divinæ gra-*

[c] Tract: de Missa privata.

næ gratiæ. Immeritò itaque Luthero quòd à diabolo tentaretur insultatis. An ideo Lutheri doctrina mala, quòd à diabolo tentatus est? Atqui ipse Christus tentatus est: tentatus etiam Bernardus, qui eum pari ratione superavit. [d] *Fateor*, inquit, *Diabolo, non sum dignus, nec meritis meis, poßum ego regnum obtinere cælorum: cæterùm dominus meus Christus, duplici jure illud possidet, hæreditate Patris, & meritò Paßionis, alterum in me transfundit, alterum in se reservat.* Dices, *Mißam privatam Sathan oppugnavit. Ergo Missa privata res bona.* Non sequitur, alioqui ego etiam à contrario concluderem: [e] *Diabolus apud Surium, teste Delirio Iesuita, in specie Angelica apparuit, & statim Abbatem, ut Missam celebraret, hortabatur.* Ergo Missa res mala, ad bona enim diabolus hortator non est. Vides, Smigleci, quibus modis sese implicet hic coluber infernalis, Luthero Missam, tanquam rem execrandam, & Deo abominabilem objcit; idem tamen Abbatem ad eam, tanquam charissimam Dei filiolam exosculandam, pellicit. Non igitur Missa sancta censenda est, quòd Sathan illam reprehendisse magis, quàm execrabilis, quòd eam probasse videbatur. Vester potius Lojola magistro Sathana, cujus præsentia delectabatur, vestram regulam instituit, ita enim scribit Ribadeneira: [f] *Idem expertus fuit pater Ignatius in fictitio illo & oculato monstro* (loquitur de apparitione dæmonis) *quòd præsens lætitiam illi adferebat, absens contristabat.*

A Diabolo tentatus Christus & Bernardus. Matth. 4.

d *Autor Vitæ S. Bernardi.*

An Missa bona quòd eam Sathan oppugnârit.

e *Lib. 4. de Mag. cap: 5. sect: 5.*

Oculatum monstrum Lojolæ.

f *Lib: 1. cap: 7. § 13. in Vita Ign.*

De arrogantia Lutheri, quæ scribis, ejusdem farinæ placenta. Quanta enim Lutheri fuit humilitas, hæc verba ejus manifestè evincunt: [g] *Sunt qui gaudẽt se Lutheranos appellari. Non sic ô fatue, doctrina non est mea, sed Christi, taceatur nomen meum, nam quis ego sum? fætidus vermium saccus.* Fuit quidem Lutherus, ut refert Gesnerus, & Thygurini, initio reformationis Vir vehementioris ingenii, ut pote in cuculla educatus, sed postea mitis fuit, & per misericordiam Dei homines precabatur, [h] *meminiße velint, quòd aliquãdo fuerit Monachus.*

Humilitas Lutheri.

g *Tom: 4. fol. 4.*

h *Præf. in suos Tomos.*

Cùm itaque Smigleci neque vitæ, neque doctrinæ Evangelicorum turpitudinem probaveris, ego verò crimina ipsis abs te objecta diluerim, cuivis candido perspicuum est, te in hac NON Demonstratione, oleum & operam inaniter perdidisse.

Ad demonstrationem decimam & Caput quatuordecimum, responsio.

Ministris veris Deus cooperatur, & sermonem confirmat sequentibus signis.

Ministris Evangelicis nunquam est cooperatus Deus, neque sermonem eorum confirmavit sequentibus signis.

Non sunt igitur veri Ministri.

Major Demonstrationis tuæ, non est universaliter vera: Nec enim semper, nec omnibus Ministris, cooperatur Deus, per miracula. Audi Patres: Chrysostomus, [i] *Nunc signorum operatio pænitùs sublata est, & magis apud eos inveniuntur fieri ficta, qui falsi sunt Christiani.* Gregorius Magnus: [k] *Nunquid fratres mei, quia ista signa non facitis, minimè creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt, ut multitudo ad fidem cresceret: quia & nos cùm arbusta plantamus, tam diu eis aquam infundimus, quousque ea in terra coaluisse videamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.* Stella etiam egregiè: [l] *Crede Evangelio, quod fuit miraculis confirmatum.* Sed dices, *Nonnè rationi consentaneum est, ut nunc quoque fides confirmetur miraculis?* Non; Nam nunc quoque damnum potius afferrent, quàm cōmodum, etsi in principio nascentis Ecclesiæ fuerint necessaria. Puer enim cùm ambulare nequit, adjuvatur vehiculo, quod homini adulto est impedimento.

Minor quoque tibi concedi non potest. Omnes enim illi Ministri, quorum Deus sermonem sequentibus signis confirmavit, Evangelici fuerunt. Nullus ipsorum privatam Missam celebravit: omnes Evangelium purè docuerunt, omnes Sacramenta ex institutione Christi ritè administrârunt. Ex falsis igitur Præmissis, nihil veri, Smiglecì, colligere potuisti. Sed ne ictum tuum dissimulare videamur, en singula, quæ illustrandæ Demonstrationi tuæ affers, excutio. *Dolet*, inquis, *Ministris, cùm illos miraculis perurgemus. Non doleret, si proferre aliqua pro se poßent.* Nobis verò, Smiglecì, id minimè dolet, cùm neq; teneamur miraculis (Scriptura enim Sacra ad id negotii sola sufficit) fidem nostram confirmare, neq; vos miraculis urgere nos possitis, siquidem ipsi nulla faciatis. Confictum verò est à Bolseco & Staphylo mendacissimis scriptoribus, quasi Lutherus & Calvinus miraculum edere tentaverint, ille in discipula obsessa, hic in Brulæo fictè mortuo, & ad vitam revocando. Quî enim id

Non semper Deus cooperatur per miracula.
i *Homi: 49. operis imperf.*
k *Hom: 29. in Evangelia.*
Simile Gregorii.
l *Com: in Luc: 11.*
Simile.
Miracula vera patrantes Evangelici fuerunt.
Pontificii Evangelicos miraculis urgere non possunt.
Lutherus & Calvinus miracula edere non tentaverunt.

nim id tentare poterant, toties professi, se suam doctrinam non teneri miraculis confirmare, confitentibus etiam vestris. Ita enim vester Bellarminus: [m] *Calvinus dicit nos injuriam iis facere, quòd ab his miraculum exigimus, cùm ipsi doctrinam antiquam, & innumeris miraculis ab Apostolis, & Martyribus confirmatam, prædicent.* Maldonatus etiam: [n] *Calviniani*, inquit, *nullis miraculis, se à Deo missos esse docent.* Sed loquatur potiùs ipse Lutherus: [o] *Non fidendum est*, inquit, *ipsis miraculis, quæ fieri vel mentiuntur, vel etiam verè prædicant, sed soli doctrinæ Christi & Apostolorum.* Item. [p] *Postquam Evangelium universo mundo promulgatum, non est opus porrò miracula facere.* De Calvino oculatus testis Danæus: *Hæc nos*, inquit, *falsa esse novimus, qui Calvinum intus, & in cute, cognovimus.* Vestro forsitan ingenio Lutherum & Calvinum metimini: nam de vobis Hansenmulerus refert, [q] *quod Iesuitæ Aviennæ volentes exuscitare mortuum, sunt confusi.*

m Lib:4. de milit: Eccl: cap. 14

n Com: in Ioan. 18.

o Domin. 2. Adven. ex Epist. Rom. 15.

p De Asc: Domini, Hom: 2.

q fol: 132.

At dicis: *Non patiuntur has angustias Catholici, qui omnium temporum plurima miracula, à sanctissimis viris patrata, proferre possunt.* Ita est Smigleci, has angustias non patiuntur veri Catholici. In Ecclesia enim Catholica, maxima miracula à sanctis viris patrata sunt. Sed in eo vertitur cardo controversiæ; illa Ecclesia, in qua sancti miracula ediderunt, vestrané, an nostra fuerit? Vestram fuisse non evinces. Nostram fuisse, facilè probabimus, quia eandem doctrinam, quam illa professa est, retinemus. Gregorius enim Thaumaturgus & S. Martinus nostri fuerunt. Vt ergò veri Catholici has angustias non patiuntur, ita vos illorum degeneres, eas ut patiamini, necesse est. Cedo enim, quæ nunc miracula editis? Nulla. Apud nos Lublini sunt multi Iesuitæ, multi Dominicani, multi Bernardini, sunt etiam nudipedes Carmelitæ, ut Sacerdotes & Presbyteros seculares taceam, plena nosodochia, plenæ plateæ infirmorum, cæcorum, claudorum, &c. Si hac potestate miracula patrandi polletis, cur nullus vestrûm misericordia tangitur, ut ægros à morbo, hæreticos ab errore, per miraculum liberet? Dicunt illi quidem se dæmonia ejicere, sed fide prorsus nulla, Apostoli enim eodem spiritu ægros curârunt, quo dæmonia ejecerunt: at cùm vestri ægros curare nequeant: Sequitur nec dæmones verè ejicere posse. Dices fortassè, Smigleci, *in India vestros Patres multa miracula edidisse.* Id quidē Bellarminus jactat de Francisco Xaverio. Sed ipse Xaverius de cæcis, surdis, mutis, à se sanatis, mutus. Multas ille Epistolas scripsit de rebus Indicis, miraculorum suorum nullam mentionem fecit, quæ exemplo Apostolorum exposuisset, si qua Deus per ipsum edidisset.

Sanctorum miracula, Evangelicorum propria sunt.

Pontificii miracula edunt nulla

Dæmones non ejiciunt.

In India Iesuitæ miracula faciunt nulla.

ediḋiſſet. Ita ſcribit Xaverius ad ſocietatem Ieſu Romam: [r] *In hac inſula rem vidi incredibilem, & ante hoc tempus inauditam, quam fortaßè operæ prætium erit cognoſcere. Caprum, inquam, vidi lacte ſuo parvos alentem hædos; ubere enim quod propè genitalia unicum habet, tantum lactis reddebat quotidie, quantum ſcutella capere poßit: Ego ipſe rem perſpexi his oculis, neq; aliter, ut crederem, adduci potuißem.* Miraculum naturæ deſcripſit Xaverius: Gratiæ profectò miraculum, ſi quod ediḋiſſet, minimè ſiluiſſet. Audiamus Acoſtam: [f] *Religio,* inquit, *Christiana, ubi humana præſidia prorſus aberant, divinis eſt fundata miraculis. At noſtrorum tempore longè alia eſt ratio, nam ii qui Indis annunciant, antiquitate religionis, ingenio, cæteriſq; copiis ſunt ſuperiores.* Nec mihi prætereundus eſt Franciſcus de Victoria, Profeſſor Regius, in Academia Salmaticenſi. Qui ita ſcribit: [t] *Non ſatis mihi liquet, an barbaris Indis, fides Christiana ita à nobis propoſita fuerit, ut teneantur credere ſub novo peccato. Nam miracula & ſigna nulla audio, nec exempla vitæ adeò religioſa: imo contra multa ſcandala, & multas impietates, unde videtur, quòd religio Christiana, non ſit iis ſatis commode & piè prædicata, ut illi teneantur acquieſcere.*

Miraculum Xaverii.
[r] Epiſt: 3.
[f] Lib: 2. de Procur: Ind. ſalute, cap: 9.
[t] Relect. 5. Prop. 5.

Præterea. Si in India, veſtri Patres miracula edendi facultate pollerent, donum linguæ Indorum collatum ſibi divinitùs haberent. At linguæ Indorum prorſus ſunt ignari, nec commodè iis prædicare poſſunt, multò minus igitur dono miraculorum pollent. Audiamus ipſos veſtræ ſocietatis, Indicos Patres. Xaverius: [u] *Verſamur inter Indos, tanquam mutæ ſtatuæ, multa enim illi de nobis & dicunt & agitant, ad quæ nos obmuteſcimus; Patrii ipſorum ſermonis ignari. In præſentia in linguæ hujus percipiendis elementis repueraſcimus.* Item A Coſta: [x] *Ex ignoratione linguæ Indorum, prædicando verbo Dei impedimenta nobis graviora fiunt.* Idem: [y] *Quid quòd confeßiones ita fiunt, ut neq; Indus intelligat ſacerdotem, neq; intelligatur ipſe, quid dicat.* Egregia ſanè confeſſio! acſi *unus mulgeat hircum, alter ſupponat cribrum.* Vana eſt igitur, Smigleci, veſtra de miraculis Indicis, deq; Indorum converſione, gloriatio.

Donum linguæ Indorum Ieſuitis non eſt collatum.
[u] Lib: 3. Epiſt. 5. ad Societatem Goam.
[x] Lib: 4. cap: 8. de procur. Ind. ſalute.
[y] Lib: 5. cap: 2.
Confeſſio Ieſuitarum apud Indos.

Sed ut nos acriter urgeas, *Proferant,* inquis, *Evangelici, per mille ſexcentos annos, vel unum miraculum, quos nimirum conſtet, extra omnem controverſiam, Evangelicos fuiße.* At pari ratione vos ego urgere poſſum. Proferant Ieſuitæ unum miraculum, à ſuæ ſectæ hominibus factum, quos extra controverſiam conſtet, Pontificios fuiſſe, & cum illis per omnia ſenſiſſe. Proferre proculdubio minimè poteſtis. Apoſtolorum, & primitivæ Eccleſiæ ſanctorum, miracula, non veſtra ſunt, ſed noſtra; qui enim hæredes ſunt fidei illorum, illi

Qui hęredes fidei ſanctorum, iidem & miraculorum.

& miraculorum, ad confirmationem fidei ab ipsis editorum. At nos doctrinæ Apostolicæ hæredes sumus. Quilibet enim Evangelicorum, bonâ conscientiâ, cum Tertulliano dicere potest: [z] *Ego sum hæres Apostolorum: sicut caverunt Testamento, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo.* De hæreditate itaq; miraculorum, ab ipsis editorum, pelli non possumus. Quid verò tu Smigleci? *Quasi,* inquis, *demonstrâßent, Apostolos Evangelicos fuiße.* Imo demonstravimus, & quovis loco, demonstrare parati sumus. Vtinam aliquando illa dies illucescat, qua postpositis omnibus, illud unum urgere velitis, ut doctrinam nostram, Apostolorum doctrinam esse, articulatim demonstremus: quod cùm nos nullo negotio facere posse videatis, aliò nos, ne vestri errores omnibus sint manifesti, semper avocatis.

[z] *De præscr: adversus Hær.*

Apostoli Evangelici fuerunt.

Sed tu contra nos cum Arianis prodis, dicens, *quod & illi Apostolos suos eße volunt.* Volunt quidem, sed probare non possunt; quod si probare possent, Apostolos in doctrina suos esse, miracula edita ab Apostolis, illorum esse, facilè cōcederemus. Nos verò articulatim probare paratissimi sumus, Apostolos, ratione doctrinæ, totos nostros esse. Vt verò maturè objectioni occurras: *ajunt,* inquis, *Catholicorum miracula falsa eße, eò quòd evertant Evangelium.* Quin potius aimus, Smigleci, Pontificiorum miracula, in rei veritate esse nulla. Ficta ab ipsis, Evangelium evertere dicimus, non Lutheri aut Calvini, (nullius enim Evangelii autores fuêre) sed Christi & Apostolorum Evangelium. Quæcunque enim ab Apostolis miracula edita sunt, eò certè omnia tendebant, ut solus Christus, tanquam unicus, verus & sufficiens inter Deum & homines mediator, ab hominibus per fidem reciperetur. At vestra ficta miracula ab hoc unico mediatore, ad cælites, homines abstrahunt. Scopum itaque veri Evangelii evertunt.

Miracula Pontificiorum in veritate nulla.

Ficta ab iis Evangelium evertunt.

Quæris. *Quî fieri poteſt, ut non sit Christi Evangelium, quod tot miraculis omnibus seculis, temporibus, locis est confirmatum: illud verò ut habeatur pro Christi Evangelio, quod nulla unquam miracula habet?* Istam quæstionem, Smigleci, tam confidenter proponis, ac si probaveris, pro tua privata Missa, mutilata communione, conficto purgatorio, Apostolos miracula edidisse. Sed cùm hoc in æternum probare non possis, frustra nos hac quæstione exagitatos voluisti.

Iterum tibi ex persona nostra objicis. *Scripturis,* inquiunt, *agendum est.* Rectè. Ita enim Chrysostomus: [a] *Qui ergo vult,* inquit, *cognoscere, quæ sit vera Ecclesia, quomodo cognoscet, nisi per scripturas?* [b] Et Augustinus: *Scriptura cum scriptura, res cum re, ratio cum ratione,*

Scripturis agendum.

[a] *Homil: 49. in Matt: operis imperfecti.*

[b] *Contra Maximinum Arian. Epist: lib: 3. c. 14.*

ratione, causa cum causa, concertet. Quid verò tu, Smigleci? Ais, *opus esse miraculo, ad probandum, qui sint veri scripturæ interpretes.* Ridiculum. Miracula enim potiùs ex Scriptura examinanda, quàm interpretatio Scripturæ, ex miraculis probanda est. Ita enim Augustinus: [c] *Ne dicas,* inquit, *ideò verum esse, quia illa mirabilia fecit Donatus, aut quia ad memorias nostrorum mortuorum homines orant & exaudiuntur, aut, quia ille frater vel soror tale visum habuit: removeantur ista, vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium Spirituum.* [d] Theophylactus: *Multi sæpènumero miracula fecerunt, sed quia prædicatio illorum non fuit sana, quare neque miracula ex Deo fuerunt.* Concludo ex Theodoreto: [e] *Instruimur igitur non credere, quando qui talia edit, contraria pietati docet.* Verùm cùm videres tibi objici posse: *miraculum esse utrique parti commune.* Occurris & dicis: *Hæreticos nulla posse miracula edere.* At, teste Maldonato: [f] *Chrysostomus, Hieronymus, Eutymius, Theophylactus, probat exemplis etiam per alios, quàm Catholicos, vera miracula fieri posse: & hoc ipso loco Matth: 7. Multi dicent in illo die: In nomine tuo ejecimus dæmonia &c. Facilè colligitur, falsos illos Prophetas, de quibus Christus loquitur, vera miracula fecisse, verè prophetasse, verè dæmonia ejecisse: nec enim respondet Christus mentiri eos, sed se eos, quamvis ista fecerint, non nosse. Nec magnum est, si nos, ne falsa miracula facientibus non crederemus, sed magnum & admirabile est omninò, quod monet, ne falsis Prophetis credamus, vera etiam miracula facientibus.* Item Pererius: [g] *Etiam Hæretici, per sacra verba aut nomen Christi, aut Sacramenta Christiana, expellunt dæmones. Cùm autem malum, jubentibus dæmones voluntariò cedunt, cùm verò inviti, in honorem excellentißimi Imperatoris Christi. Talis fuit is, de quo Discipuli loquuntur ad Christum: Magister, in nomine tuo ejicit dæmonia, cùm tamen Christum non sequeretur.* Mirabiliarios Donatistas Augustinus contemnit, nō ob hanc causam, quam tu ipsi affingis, sed quòd pænitùs ex miraculis Ecclesiam probari nollet. Ita enim scribit: [h] *Ecclesiam suam, si possunt, demonstrent, non in sermonibus & rumoribus Afrorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet Disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini cauti redditi sumus: sed in præscripto legis &c. Hoc est in omnibus Canonicis sanctorum librorum autoritatibus.*

Miracula ex Scriptura examinanda.

c *De Vnit. Eccl. cap: 6.*

d *In Luc. cap: 9.*

e *In Deut: 13.*

Hæretici verè miracula facere possunt.

f *Com: in Matt: 7.*

g *Com: in Genes. cap: 7. Disp: 5.*

h *De Vnit: Eccl. cont: Donat: cap: 16.*

Ex Miraculis Augustinus Ecclesiam probari non vult.

Tertiò tibi ipsi objicis. *Quòd si dicant, Dæmones non quidem vera miracula facere posse, at posse apparentia, quævé vera imitentur miracula.* Quid respondes? Summa responsionis tuæ est. *Providentiam Dei id patefacere, ut appareat ipsorum falsitas & deceptio.*

Reprobi per miracula seducuntur.

Reſponſio tua Smigleci, non eſt, uſque quaq; vera. De electis, qui pauciores ſunt, id quidem verum eſt: [i] *Chriſtus* enim dicit, *illos per falſa miracula ſeduci non poſſe.* De reprobis autem, quorum major numerus, minimè. Plurimi enim Antichriſtum ſequentur, cujus[k] *adventus potens, ſignis fallacibus.* Porrò omnibus in genere fidelibus, Deus præſcripſit, quid ſub tale periculum facere teneantur. [l] *Si ſurrexerit,* inquit, *in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atq; portentum, & evenerit quod loquutus eſt, & dixerit tibi, Eamus & ſequamur Deos alienos (quos ignoras) & ſerviamus eis: Non audies verba Prophetæ illius, quia tentat vos Dominus, ut palàm fiat, utrùm diligatis eum an non, in toto corde & in tota anima veſtra? Dominum Deum veſtrum ſequimini, & ipſum timete, & mandata illius cuſtodite, & audite vocem ejus, ipſi ſervietis, & ipſi adhærebitis.* Quam regulam ſi fideles ſequuti fuerint, nunquam ſe miraculis decipi patientur: Ab hac cùm veſtri deflexerint, factum eſt in Eccleſia veſtra, *ut magna ſit*, teſte Lyrano, *populi deceptio, per falſa miracula, propter lucrum.* Vnde ita cecinit Marcellus Palingenius in Leone:

> *Heu quas non nugas, quæ non miracula fingunt,*
> *Vt vulgus fallant, optataq; præmia carpant.*

At vide quomodo tibi conſtes, ſupra dixiſti: *miracula requiri ad probandam interpretationem Scripturæ:* jam verò dicis, *Catholicos pro ſua fide miracula non requirere.* Quaſi aut Catholici Scripturam non interpretentur, aut S. Scripturæ ſenſus in foliis verborum cõſiſtat. Quid ita Smigleci? *Quia,* inquis, *pro Catholica religione numero & magnitudine miracula infinita edita ſunt.* Pro Catholica, Smigleci, non pro Pontificia. Petis itaq; principium. Siquidem pro confeſſo ſumis, quod maximè poſitum in controverſia. Aliud vobis in verbis, aliud in factis. Plebem enim credulam, hac peculiari ratione, per ficta nimirum miracula, & revelationes, in ſuperſtitione detinetis. Nos autem ex animo & candidè cum noſtris auditoribus agimus, quos non à miraculis, ſed à ſolo verbo Dei ſcripto pendere volumus. Ita enim illos cum Chryſoſtomo ſæpiùs alloquimur: [m] *Si fidelis es, ut oportet, ſi Chriſtum diligis, ut diligendus eſt, miraculis non indiges: Signa enim incredulis dantur.* Frequenter etiam inculcamus verba Auguſtini: [n] *Quiſquis adhuc prodigia, ut credat, quærit, ipſe eſt magnum mundi prodigium, qui mundo credente, non credit. Antiqua miracula, quæ ubiq; recitantur, & memoriæ populorum inhærent, ſufficiunt.* Fides porrò noſtra, quam tu *ſterilem* vocas, non miraculorum, ſed bonorum operum fæcunda & ferax eſſe debet, quemad-

i *Mat:24.v:24.*
k *2.Theſ:2.v:9.*
l *Deut:13.v:1,2.*
Regula ſequenda piis.
Pro Catholica, non pro Pontificia religione miracula vera edita ſunt.
Non à miraculis, ſed à Scriptura pendendum.
m *Homil: 22. in Ioan.*
n *De Civit:Dei, lib. 8. cap: 22.*
Singulare miraculum neceſſarium.

quemadmodum egregiè & graviter à Costa vester: ° *Singulare*, inquit, *miraculum necessarium est, Mores, cum fide congruentes: hoc abundè sufficit.* o Lib:2. cap.9. de procur. Ind. salute.

His ita discussis, vanitas tuæ Decimæ Demonstrationis, cuivis Candido Lectori manifesta esse potest.

Ad Caput Decimumquintum, Smigleci, nullum à me responsum expecta, nam animus mihi non est Socinianorum, qualis iste Anonymus fuit, scripta defendere. Non ex animi sentētia Iosaphato cessit cum Achab copias jungenti. 3. Reg.22. Scribat si vult pro suo anonymo Volkelius, disputator, ut benè nosti inter Socinianos accutus: quorum ego compendium in rebus fidei, nunquam tamen nobis imitandum, satis mirari non possum. Ne enim ipsis negotium, de Invocatione Sanctorum & Purgatorio à vestris crearetur, animas simul cum corpore extingui, compendiosè olim asseruerunt: Ne quid etiam difficultatis quæstio de Vocatione Ministrorum ipsis afferat, dicunt, in Ministro legitimam vocationem minimè requiri, sed ex charitate, quemlibet, qui talia charismata habet, non tantùm posse, sed etiam debere docere. Plura fortasse religionis Christianæ capita brevi in dubium vocaturi. Quæ causam nostram concernere visa sunt, ad ea simplex, (*siquidem veritatis talis oratio eße debet*) responsum habes. Euripides. Boni consule quæso, & si quod verbum, quod personam, non causam tuam, læserit, mihi excidit, ignosce oro. Fervor enim disputationis etiam modestissimos aliquando abripit, quò nollent. Dominus te suo Spiritu dignetur, ut hoc tam fœlix ingenium tuum, non oppugnandæ, sed propugnandæ Evangelicæ veritati, consecres, ac voveas. Amen.

Ad candidum Lectorem.

Habes, candide Lector, Nodi Gordii dißolutionem, seu, ad Decem Demonstrationes Smiglecii, brevem, sed directam, responsionem. Tuum erit eam legere eâ diligentiâ, quam cura salutis à te exposcit, eoq; candore, qui rei sacrosanctæ debetur. Tantùm modò non te capiat splendidum, sed ementitum, Ecclesiæ nomen, nec Pontificiorum ordinatione, puerilibus superstitiunculis comptâ, movearis, per-

 ris, per-

ris, perspicies profectò, Deo bene adjuvante, apud Pontificios corticem, apud Evangelicos, veræ Ecclesiæ & Ordinationis nucleum haberi. Verbum Dei est, quod fallere nescit, nec falli: est enim ipsa veritatis regula: Huic si adhæseris, vitabis illos, qui veritate postpositâ, antiquitate, amplitudine, successione personali, nec non ordinatione sua, ad pompam potiùs, quàm ad tanti muneris dignitatem compositâ, simplicioribus fucum faciunt; eos verò pastores tuæ animæ fideles agnosces, qui tibi pabulum ex solo verbo Dei, quod cibus est animæ, apponunt. Sacramentaq; non mutilata, non sordibus contaminata, sed juxta primævam Christi institutionem, ritè administrant.

Bene & feliciter vale, candide Lector, meo qualicunque labore, in salutem tuam, fruere, & pro me Deum apprecare.

SOLI DEO LAUS ET GLORIA.

INDEX RERUM MEMORABILIUM QUÆ HOC LIBRO CONTINENTUR.

X Columbæ

Evan-

Verbum

FINIS.

Errata graviora corrige sic.

Folio, 5. sumtptis, *lege,* sumptis. ladatissimi, *l:* laudatissimi. *f:* 7. dulcessimis *l:* dulcissimis, *f:* 22. esse, *l:* esset. *f:* 25. sanctificantur, *l:* sanctificate. *f:* 26. Socotetium *l:* Socotorium. *f:* 27. Christianos quærendos venerat, *l:* Christiani quærendi venerant. *f:* 33. aliis Patribus, *l:* aliis Patribus erravit. *f:* 38. justitia, *l:* justitiam. *f:* 38. effudere, *l:* effudero. *f:* 54. feci, *l:* fecit. *f:* 57. Oecomenius, *l:* Oecumenius. *f:* 71. memoret, *l:* memorat. *f:* 91. pusilus, *l:* pusillus. *f:* 95. Cathehesεum, *l:* Cathechæseum. *f:* 96. ais, *l:* agis. *f:* 117. scripturarum, *l:* Scripturam. *f:* 119. judice, *l:* judicem. *f:* 126. liberè, *l:* liberæ. *f:* 131. Sodomitica, *l:* Sodomitria. *f:* 133. factus *l:* factum. *f:* 134. Atqui, *l:* At qui. *f:* 135. indignum, *l:* indignum. *f:* 141. Ganymeditas, *l:* Ganymedibus. *f:* 142. etiam, *l:* enim. *f:* 143. Et cui, *l:* Eccui. *f:* 143. illud, *l:* illius. *f:* 155. nulla posse miracula edere, *l:* nulla posse vera miracula edere. *f:* 157. accutus, *l:* acutus.

Leviora benevolus lector per se corriget.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE